Universitätsbibliothek Paderborn

# Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ, puræ statu & viribus eruitur & explicatur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

De statu naturae lapsae. Liber II. Qui est de poenis peccati Originalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

Visual Library

viam utcunque demonſtravimus; ut lector illam eligat, quam vel Auguſtino, vel viribus ſuis aptiorem eſſe deprehenderit.

Dum enim illa, quæ in Auguſtino & Scriptoribus antiquis certa ſunt, non propter quædam incerta convellantur, non ita multùm fortaſſe refert, quid de iſtis incertioribus lector arbitretur. Certum enim in Auguſtini & antiquorum tum præcedentium tum ſequentium Patrum ſenſu eſt; Peccatum originale eſſe concupiſcentiam, quam ex Apoſtolo Paulo talem eſſe, ut oſtendimus, didicerunt: certum, per illam eandem concupiſcentiam, ſive reatus ejus baptiſmo expiatus fuerit, ſive non fuerit, peccati reatum in poſteros trajici: certum, hoc non fieri ex ullo poſitivo pacto Dei, ſed ex inquinatione, qua jure talis ſeminationis & propagationis ex natura rei, anima ſive de novo creata, ſive per traducem tracta, maculatur. Iam verè ſive hoc ita fiat, ut iſta concupiſcentia non ſit aliud, quàm ſerenitas & inordinatio potentiarum; ſive potiùs, quò nos palàm ducit S. Auguſtinus, qualitas poſitiva, eaque ſive ab appetitu ſenſitivo inſtar malæ conſuetudinis diſtincta; ſive tanquam habitus corruptus, ut S. Thomas loquitur; ſive tanquam temperamenti quædam affectio, ſive ut alia occulta quædam qualitas, ſecundùm ea, quæ ſuperiùs diſputata ſunt non ita periculosè, puto, erratur: pluribuſque modis ea, quam certam diximus, cœleſtis ejus doctrina de peccato originali, olimque probatiſſima per totam Eccleſiam, ſine magna difficultate ſuſtineri poteſt.

Quo verò pacto, quidquid tandem fuerit in Auguſtino concupiſcentia, averſio iſta mentis à Deo parvulis ſit culpabilis, & reatum faciat, ita ut etiam pœna digni ſint, non eſt peculiaris iſti ſententiæ difficultas, ſed ab omnibus devoranda eſt. Quidquid enim originis peccatum eſſe ſenſeris, ſi actualem parvuli voluntatem reſpicis, inculpabile eſt. Ad fontem quippe totius torrentis humani generis, primi parentis voluntatem, unde amaritudo naſcitur, aſcendendum eſt. In illo namque, ut ſuprà fusè ex Auguſtino declaravimus, & non aliter, voluntaria eſſe poteſt. Ex quo etjam efficitur, ut ille diſtortus perverſuſque naturæ humanæ ſtatus, cujus ipſa in ſua radice cauſa fuit, origini ejus jure imputetur, ac diſpliceat Deo, velut ſapientiæ ejus bonitatique contrarius: quèmadmodum viciſſim parvulorum rectitudo à Chriſto reſtituta, velut conformis incommutabili ſapientiæ & bonitati, Deo placet, quamvis neutrum ſuis actibus comparaverint.

Sunt & aliæ nonnullæ difficultates, quæ moveri poſſent: ſed quia ſolutio earum ex dictis facilis eſt, non eſt operæ pretium earum prolixiori declaratione fatigare lectorem. De concupiſcentia in ſtatu puræ naturæ, an ibi eſſet culpabilis, imò an ibi eſſe poſſet, erit alibi diſſerendi locus.

*Vide infra libros de ſtatu puræ nat.*

FINIS.

# DE STATV NATVRÆ LAPSÆ LIBER SECVNDVS.

## Qui eſt de pœnis peccati originalis.

## CAPVT PRIMVM.

### Pœnæ peccati originalis generatim pertextæ.

DE peccati originalis pœnis copiosè dicere non eſt difficilè. Tot enim tantæque ſunt, ut eis deſcribendis ac deplorandis faciliùs mens & calamus obrui, quàm charta impleri poſſit. Quòcunque oculos ſive mentis ſive corporis circumferimus, irruunt: & ita univerſæ hominum vitæ & actionibus ſive bonis ſive malis intertextæ implexæque ſunt, ut omnes bonæ pœnali quadam difficultate laborioſæ; malæ verò quotquot poſt prævaricationem illam ingentem primi parentis ab improbis fiunt, ita ſunt ſuppliciorum merita futurorum, ut ſint etjam magni illius ac præteriti indubitata pœna peccati. Quod ergò ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa tota, quam dixi, humana vita,

vita, ſi vita dicenda eſt, tot ac tantis malis plena, teſtatur. Quod ut Auguſtini ſenſu & plerumque verbis breviter perſtringamus, ut poſtea de ſingulis quæ difficultatem ingerunt diſſeramus latiùs, quid indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, cum qua nunc mundum ingredimur? Nam in hiſce tenebris profundiſſimis ab utero profuſus in lucē quilibet infans jacet, neſciens ubi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus ſit, jam reus delicti, nondum capax præcepti; tanta videlicet caligine involutus & preſſus, ut neque tanquam de ſomno excitari poſſit, ut hæc ſaltem demonſtrata cognoſcat: ſed exſpectetur tempus, quo hanc neſcio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, ſicut quælibet graviſſima ſolet, ſed per aliquot menſes atque annos paulatim digerat. Quod donec fiat, tam multa, quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omninò non poſſint. Nec ideò tamen pœnalia iſta mala eſſe deſinunt, quia tolerantur in parvulis: ſed ideò tolerantur, quia ſine dubio mala ſunt, licet ætatis acceſſu peritura. Nam ſi pater & mater parvulos ſuos tales præſcirent manſuros eſſe, cùm creverint, nullo modo dubitarent miſerabiliùs lugendos eſſe, quàm mortuos.

Ex iſta denſiſſima tenebrarum caligine omnis error humanæ vitæ proficiſcitur, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit; ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore, non poſſit. Quid amor ipſe tot rerum vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus; furtum, rapina, perfidia; ſuperbia, ambitio, invidentia; homicidia, parricidia, crudelitas, ſævitia; nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſtus, & contra naturam utriuſque ſexus tot ſtupra atque immunditiæ, quas turpe eſt etjam dicere: ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, perjuria; oppreſſio innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falſa teſtimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit? Quæ quamvis hominum ſint malorum, eaque ſua voluntate perpetrantium, ab illa tamen erroris & perverſi amoris radice pullulant, ad quam natura prȩvaricatrix ab origine tractam ex illa primi parētis tranſgreſſione, dānata eſt. Non enim ſolùm in malis ſuis contractis jacet, ſed & volvitur, deque malis in mala præcipitatur totius generis humani maſſa; & adjuncta parti eorum, qui paulò antè peccaverant Angelorum, luit etjam iſtas flagitiorum atque facinorum impiam illam deſertionem conſequentium atque punientium digniſſimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet juſtam, non minùs quicquid cæcâ & indomitâ concupiſcentiâ faciunt libenter mali, quàm quicquid manifeſtis opertiſque pœnis patiuntur inviti.

[A] Quis enim ignorat, non ſolùm cum quanta ignorantia veritatis, quæ jam in infantibus manifeſta eſt, ſed etjam cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hac vitam; ita ut ſi dimittatur vivere ut velit, & facere quicquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, & quæ cōmemorare non potui, vel cuncta vel multa perveniat? Sed divina gubernatione non omni modo deſerente damnatos, & ideò non continente in ira ſua miſerationes ſuas, in ipſis ſenſibus generis humani prohibitio & eruditio contra iſtas, cum quibus naſcimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur; plenæ tamen et iam laborum, & dolorum. Quid enim ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi, quid magiſtri, quid ferulæ, quid [B] lora, quid virgæ, quid diſciplina illa, quâ Scriptura ſancta dicit dilecti filij latera eſſe tundenda, ne creſcat indomitus, domarique jam durus aut vix poſſit, aut fortaſſe nec poſſit? Quid agitur his pœnis omnibus, niſi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc ſeculum venimus? Quid eſt enim, quòd cum labore meminimus, ſine labore obliviſcimur; cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus; cum labore ſtrenui, ſine labore inertes ſumus? Nonne hinc apparet in quid velut pondere ſuo proclivis & prona ſit vitioſa natura, & quantâ ope, ut hinc liberetur, indigeat? Deſidia, ſegnities, pigritia, negligentia, vitia ſunt utique, quibus labor fugitur, cùm tamen labor ipſe etjam qui eſt utilis pœna ſit.

Sed præter pueriles pœnas, ſine quibus diſci non poteſt quod majores volunt, qui vix aliquid utiliter volunt, nec ex tenebroſo hu- [C] mani generis animo pelli ignorantia; quas ærumnas indomitæ pravarum rerum cupiditates etjam ijs afferant, qui illis ad flagitia quȩque perpetranda libenter obtemperant, quis ſine horrore recordetur? Ira rationi cùm veluti ſatelles ad exequenda juſſa conceſſa ſit, inconceſſum ſibi plerumque rapit imperium, & hominem in feram vertit, ut, canum rabiem, ſcorpionum truculentiam, ſerpentumque virulentiam ſuperet. Quid illa fœdiſſimarum obſcœnitatum libido furioſa, quas tragœdias non omni ætate ſuſcitavit? quas corporum peſtes aç putredines noſtrâ ætate non intulit? quas inſanias ſuis dilectoribus ac ſectatoribus adoleſcentibus ſubinde non peperit?

Iam verò quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiamque iniquorum, ſed ad conditionem pertinent miſeriamque communem, quis ullo ſermone digerat, quis ulla cogitatione compre- [D] hendat? Quantus eſt metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu; à damnis & damnationibus; à deceptionibus & mendacijs hominum; à ſuſpicionibus falſis; ab omnibus violentis facinoribus, & ſceleribus alienis; quandoquidem ab eis & deprædatio, &

captivi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

captivitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio ſenſuum, & oppreſſio corporis ad obſcœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda ſæpè contingunt?

Quid ab innumeris caſibus, qui forinſecus corpori formidantur, æſtibus, & frigoribus, tempeſtatibus, imbribus, alluvionibus, coruſcationibus, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibuſque terrarum, oppreſſionibus ruinarum; ab offenſione, & pavore, vel etjam malitia jumentorum; à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum; à beſtiarum ac ferarum vel tantummodo moleſtis, vel etjam mortiferis morſibus; à rabie quæ contingit ex rabido cane, ut etjam blanda & amica ſuo domino beſtia nonnunquam vehementiùs & amariùs, quàm leones draconeſque metuatur; faciatque hominem, quem fortè attaminaverit, contagione peſtifera ita rabioſum, ut à parentibus, B conjuge, filijs, pejùs omni beſtiâ formidetur? Quæ mala patiuntur navigantes? quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat ubicunque non opinatis caſibus ſubjacens? Quid videtur ſedente ſecurius? de ſella, in qua ſedebat, cecidit Heli Sacerdos, & mortuus eſt. Agricolæ, imò verò omnes homines quot & quantos à cœlo & terra, vel pernicioſis animalibus caſus metuunt agrorũ fructibus? de quibus etjam collectis reconditiſque nulla ſecuritas. Contra milleformes dæmonum incurſus quis innocentiâ ſuâ fidat, quandoquidem ne quis fideret, etjam parvulos baptizatos, quibus certè nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maximè, Deo ſinente, iſta monſtretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas.

Iam verò de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, ut nec libris Medicorum cuncta comprehenſa ſint. In quorum pluribus, ac pœnè omnibus, etjam ipſa adjumenta & medicamenta tormenta ſunt: ut homines pœnarum exitio, vel pœnali eruantur auxilio, vel ad alia fortaſſe graviora, cruciatus corporum, membrorumque lanienam, ipſamque mortem terribilium omnium terribiliſſimam, paulò tardiùs ſubeunda ſerventur. Nonne ad hoc perduxit aliquando ſitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam, vel etjam ſuam biberent? Nonne ad hoc fames, ut à carnibus hominum abſtinere ſe non poſſent; nec inventos homines mortuos, ſed propter hoc à ſe occiſos; nec quoſlibet alienos, verùm etjam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida eſuries faciebat, abſumerent? Ipſe poſtremò ſomnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet, quàm ſæpè ſomniorum viſis inquietus ſit, & quàm magnis licet falſarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut à veris eas diſcernere nequeamus, animam miſeram ſenſuſque perturbet? Qua falſitate viſorum etjam vigilantes in quibuſdam morbis & venenis mirabiliùs agitantur. Quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etjam

A ſanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus viſis, ut etjamſi eos per hæc ad ſua traducere non potuerint; ſenſibus tamen eorum ſolo appetitu qualitercunque perſuadendæ falſitatis illudant.

Præter hæc autem mala hujus vitæ bonis maliſque communia, habent in ea juſti etjam proprios quoſdam labores ſuos, quibus adverſus vitia militant, & in talium vitiorum tentationibus periculiſq; verſantur. Baptizatos parvulos prætereo; quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus creſcant, ſileo: cùm nec iſtis malis in ſuis parvulis infidelitas careat. Sed jam grandes Deoque ſervientes videamus: tentat eos error, ut decipiat; tentat labor aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mœror, ut ſternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia feſtinanter, quibus gravatur jugum ſuper filios Adam? Aliquando enim concitatiùs, aliquando remiſſiùs, non tamen deſinit caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea quæ volumus, faciamus: vigilijs cõtinuis excubantes, ne opinio veriſimilis fallat; ne decipiat ſermo verſutus; ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod malum eſt, bonum, ut quod bonum eſt, malum eſſe credatur; ne ab his quæ agenda ſunt metus revocet; ne ſuper iracundiam Sol occidat; ne inimicitiæ provocent ad retributionem mali pro malo; ne abſorbeat inhoneſta vel immoderata triſtitia; ne impartiendorum beneficiorum ingrata mens ingerat torporem; ne maledicis rumoribus bona conſcientia fatigetur; ne temeraria de alio ſuſpicio noſtra decipiat; ne aliena de nobis falſa nos frangat; ne oculus ſequatur concupiſcentiam; ne vindicandi cupiditas vincat; ne in eo, quòd malè delectat, vel viſio vel co-
C gitatio remoretur; ne improbum, aut indecens verbum libenter audiatur; ne fiat quod non licet etjamſi libet; ne in hoc bello laborum periculorumque pleniſſimo vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, vel viribus noſtris facta tribuatur; ſed ejus gratiæ, *qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum*. Nam, ut Apoſtolus, *in his omnibus ſupervincimus per eum qui dilexit nos.* Veruntamen quantalibet virtute præliandi vitijs repugnemus, vel etjam vitia ſuperemus, & ſubjugemus, quamdiu ſumus in hoc corpore, nobis deeſſe non poteſt, unde dicamus Deo: *Dimitte nobis debita noſtra.* In illo autem regno, ubi ſemper cum corporibus immortalibus victuri ſumus, nec prælia nobis erunt ulla, nec debita: quæ nuſquam & nunquam eſſent, ſi natura noſtra, ſicut recta creata eſt, permaneret. Ac per hoc etjam noſter ille conflictus, in quo aſſiduè periclitamur, & de quo nos victo-
D riâ noviſſimâ cupimus liberari, ad hujus vitæ mala pertinet, quam tot tantorumque teſtimonio malorum probavimus eſſe damnatam. Harum miſeriarum evidentia Philoſophos gentium, nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes ſive credentes, compulit dicere,

1. Cor. 15.

Rom. 8.

ob aliqua

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſâ nos eſſe natos, & animos noſtros corruptibilibus corporibus, excogitato ab Hetruſcis prædonibus ſupplicio, eſſe conjunctos. Sic enim loquitur Tullius in Hortenſio, cùm multa, quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infidelitate dixiſſet: *Ex quibus humanæ vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris initijſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſâ natos eſſe dixerunt, aliquid* A *vidiſſe videantur: verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos qui quondam, cùm in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata, quàm aptiſſimè colligabantur: ſic noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe coniunctos.* Atque hæc generatim de pœnis peccati originalis dicta ſint. Nunc paulò fuſiùs de præcipuis ejus pœnis, quibus animus affligitur, ignorantiâ & concupiſcentiâ, diſſerendum eſt.

*Ex Horten. Dialog. Citer. apud Auguſt. 4. cont. Iul. c. 15.*

# DE IGNORANTIA.

## CAPVT SECVNDVM.

### Ignorantia etjam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, invincibilis non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum.

PRÆTERMISSIS igitur multis ignorantiæ diviſionibus, quæ ad propoſitum noſtrum nihil faciunt, alijſque quæ de ignorantia ſubtiliter diſputantur, Duplicem ignorantiam eſſe, vincibilem & invincibilem, nemo qui vel à longè Theologiam ſalutavit, ignorat. Vincibilis dicitur, quæ ſtudio ſeu diligentiâ humanâ vinci poteſt: quæ ſi non adhibeatur, quando adhiberi poteſt ac debet, veriùs magiſque propriè peccata negligentiæ, quàm ignorantiæ, dici debent quæ inde naſcuntur. Tota quippe peccati aut culpæ ratio, in ſciendi incuriam cadit, quâ, quæ ſtudio ſcire potuit ac debuit, indagare neglexit. Invincibilis è contrario eſt, quam talis diligentia ſuperare non potuit. Hic igitur primò quæri poteſt; Vtrum aliqua ſit ignorantia invincibilis juxta doctrinam Auguſtini, quæ tamen non excuſet actum, qui inde ſequitur, à peccato? Generale namque videtur Scholaſticorum pronunciatum eſſe, quòd quicquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpâ vacat. Quæ ſanè doctrina quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plauſibilis eſſe videatur, difficile tamen eſt eam cum Auguſtini doctrina conciliare, quam contra Pelagianos conſtanter aſſeruit. Solemne quippe Pelagianorum dogma fuit: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubiacere peccato*: prout hoc ex libris Celeſtij Pelagio in Paleſtina Synodo objectum fuit. Hoc autem Pelagianos de invincibili ignorantia intellexiſſe, certiſſimum eſt; ut ex ijs, quæ de Pelagianorum erroribus diximus, manifeſtum eſt. Oſtendimus enim & Iulianum & Pelagium ex profeſſo docuiſſe, quòd illa ignorantia, quæ ex negligentia voluntatis naſcitur, ſit culpabilis. Vnde de Iuliano dicit Auguſtinus: *Ecce meritò reprehendiſti eos, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere.* Et Pelagius expreſſiſſimis verbis docuit: *Hominem prævigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam* A *ignorantiam: quia id homo neſcit negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet.* Et quod omnem tollit de Pelagianorum ſententia controverſiam, in Paleſtinæ Synodi geſtis, ubi Pelagianorum doctrina ex eorum libris eruta proponitur, ſic eam ex libri Celeſtij capitulo ſeptimo Auguſtinus exprimit: *Oblivionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam non ſecundùm eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*: Vbi lacunam eſſe, non eſt dubium: nam legi debet (*ſecundùm voluntatem eveniunt*) tum quia nullus alioquin eſt ſenſus, tum quia illud (*ſecundùm*) caſum quem regit adjunctum habere debet; ſicut ex eo quod ſequitur patet: *ſecundùm neceſſitatem*; quod alteri parti (*ſecundùm voluntatem*) opponitur: tum denique quia ſic Auguſtinus poſtea totius hęreſis Pelagianę dogmata recapitulando pertexens, illud ipſum exprimit: *Quòd oblivio & ignorantia non ſubiacet* B *peccato; quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem; ſed ſecundum neceſſitatem.* Ex quo apertè ſequitur, ignorantiam illam, quæ non evenit ſecundùm neceſſitatem, ſed ſecundùm voluntatem, hoc eſt, eam, cujus non neceſſitas, ſed voluntas cauſa eſt, quâ videlicet vinci potuit, Pelagianorum judicio ſubjacere peccato. Hoc ergò ſolemne dogma, quo Pelagiani dicebant, ignorantiam quæ non ſecundùm voluntatem evenit, ſed ſecundùm neceſſitatem, non ſubjacere peccato, de ignorantia invincibili intelligebant; ut ipſa etjam verba evidenter præ ſe ferunt, & ſonant. Et quamvis non ſtatim quicquid à Pelagianis aſſertum fuit, etjam Pelagiano errore vitiatum ſit; hoc tamen eorum pronunciatum à Catholicis defenſoribus acriter oppugnatum, & à judicibus condemnatum fuit. Nam in Synodo Paleſtina, ubi Pelagius præſens adfuit, cùm illa ſententia, quòd *ignorantia, quæ evenit ſecundùm neceſſitatem, non voluntatem, non ſubiacet peccato*, cum nonnullis alijs ex doctrina Celeſtij fuiſſet objecta, tanto-

*Lib. de geſtis Pelag. c. 18.*

*Vide lib. noſtrum 3. de Hæreſi. Pelag. c. 13.*

*Lib. 6. cont. Iul. c. 1.*

*Lib. de nat. & grat. c. 17*

*De geſt. Pelag.*

*Ibid. c.*

A tantopere ſuâ fœditate Catholicos commovit Epiſcopos, ut non exſpectata ejus reſponſione dixerint: *Quid ad hæc, quæ lecta ſunt, capitula dicit præſens Pelagius monachus? Hæc enim reprobat ſancta Synodus, & ſancta Dei Catholica Eccleſia.* [*Lib. de geſtis Pelag. apud Auguſt. c.19. & 33.*] Et Pelagius ipſe non audens Concilij judicio refragari, *quæ dixi*, inquit, *non eſſe mea* (inter quæ iſtud unum fuit) [*Ibid. c.19.*] *ſecundùm iudicium ſanctæ Eccleſiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ doctrinis.* Et ne quis forte iſtorum Antiſtitum judicium elevaret, quamvis à nemine antiquorum propter Pelagianorum errorum, qui Pelagio objecti ſunt, condemnationem reprehenſum fuerit, ipſe Auguſtinus calculo ſuo totum multipliciter probat. Nam in illo libro, quem ex profeſſo de Pelagij in illa Synodo geſtis exaravit, cùm ad illud caput de experte peccati invincibili ignorantiâ perveniſſet: [*Ibid. c.17.*] *Iam*, inquit, *ea quæ reſtant noviſſima ita Iudices commoverunt, ut ante reſponſionem Pelagij damnanda cenſerent.* B Et paulo pòſt addit, ſe Iudicum non arguere [*Cap.21.*] *vel negligentiam vel conniventiam, vel, quod ab eis longè abhorrere certiſſimum eſt, impiorum dogmatum conſcientiam; ſed eorum iudicium pro merito approbare atque laudare.* Quid quòd Auguſtinus in eodem libro ſæpius repetit, dogmata Pelagiana, quæ judices illo judicio proſcripſerunt, inter quæ iſtud unum fuit, etiam Pelagio coram hominibus abſoluto, meritò tanquam hæreſes eſſe damnata? Sic enim in eadem illa de geſtis Pelagij lucubratione: [*Ibid. c.21.*] *Illi enim* (judices) *tanquam de ignoto iudicantes, his præſertim abſentibus, qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentius examinare minimè potuerunt; hæreſin tamen ipſam, ſi eorum ſequantur iudicium, qui pro eius perverſitate certabant, penitus peremerunt.* Et inferiùs: [*Cap.25.*] *At nunc ſi Pelagius Deum cogitat, ſi non eſt ingratus eius miſericordiæ, qui eum ad Epiſcoporum iudi-* C *cium propterea perduxit, ut hæc anathemata defendere poſteà non auderet, iamque deteſtanda & abijcienda cognoſceret, gratius accipiet litteras noſtras &c.* Ecce anathemata non defendenda in poſterum, deteſtanda, & abijcienda vocat Auguſtinus ea, quæ judices proſcripſerunt. Quæ ne quis velut indefinitè dicta minoris ea de cauſa facienda ſuſpicaretur, vel aliquid à dogmatibus ibi proſcriptis poſſe velut ſanum excipi, generatim in ſequentibus adijcit: *Quòd habet geſtorum fides, omnia ſcilicet illa dogmata, quibus eadem hæreſis proſerpebat, & contentioſâ convaleſcebat audaciâ,* [*Cap.33.*] *Eccleſiaſtico iudicio, præſidentibus quatuordecim Epiſcopis eſſe damnata.* Quæ quidem eo vehementiùs premunt, quòd adverſus eos ab Auguſtino proferantur, qui ex Pelagij quadam Epiſtola poſt Synodum ſcripta putare poſſe videbantur, [*Ibid.*] *aliquid eorum* quæ ibi reprobata fuerant, *licitè poſſe defendi, tanquam non fuerit iudicatum* D *Catholicæ contrarium eſſe doctrinæ.* Vnde ſtatim omnia, quæ ibi damnata ſunt, ſcriptis ab ipſo profligenda eſſe contendit: *Si ſicut homines*, inquit, *ſuſpicamur, ignoſcat; dum tamen ea quæ geſtis, quibus auditus eſt, anathematizata & reprobata ſunt, de cætero oppugnet; ne parcendo illis, non ſolùm hæc antea credidiſſe, ſed credere videatur.* Et in fine libri, cùm Antiſtites judices duo quædam ſatis perſpicua dixiſſet ſuæ ſententiæ brevitate complexos, unum quidem, *pijs Pelagium conſentire doctrinis*, quia [*Cap. ult.*] multa dogmata ſua in Catholicum ſenſum interpretandi ſubtilitate traxerat; alterum verò, *Eccleſiæ fidei reprobare & anathematizare contraria*; ſub hoc ultimum diviſionis membrum peſtilentiſſimas doctrinæ Pelagianæ ſententias revocat, & inter eas iſtam quoque, de qua nobis eſt ſermo: quas ipſe Pelagius, quia ſine dubio damnanda videbantur, damnationis ſuæ timore damnaverat. Vnde propoſitum ſuum executurus Auguſtinus, ita præfatur: *Nunc ſimiliter recapitulando illa paulò* [*Ibid.*] *attentiùs videamus, quæ illum contraria reprobare & anathematizare dixerunt. In hoc enim potius tota hæreſis iſta conſiſtit.* Et Catalogum eorum pertexere incipiens, in quo dogma de *ignorantia neceſſitatis non voluntatis*, non infimum locum tenet: *hæ ſunt*, inquit, *quibus hæreſis illius dum ea* (*dumeta* legendum videtur) *quotidie pullulare, imò iam ſilveſcere dolebamus; Adam mortalem factum &c. quòd oblivio & ignorantia non ſubiacet peccato: quoniam non evenit ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Et quia iſtud unum è Celeſtij dogmatibus fuit, & Pelagius alia, ut dixi, nonnulla dogmata ſano ſenſu expoſuerat, hinc pertexto illo peſtilentium dogmatum catalogo, quæ Pelagius anathemate condemnaverat, librum Catholicâ gratulatione concludens: *Quomodolibet*, inquit, *ea Celeſtius poſuerit, aut non poſuerit; vel Pelagius ſenſerit, aut non ſenſerit; tanta mala tam nova huius hæreſis illo Eccleſiaſtico iudicio damnata gaudeamus, & Deo gratias agamus, laudeſque dicamus.* Et quamvis nonnulla Pelagij dogma- C ta in iſta Synodo damnata ſcrupuloſiſſimè excutiat, ne quid judices perperam probaſſe, vel damnaſſe viderentur; de iſta tamen ignorantiæ ſententia ne minimum quidem vel dubium vel ſcrupulum movet. Quæ ſanè per quam evidenter oſtendere videntur, ſententiam illam, quòd ignorantia neceſſitatis non voluntatis, hoc eſt, invincibilis, peccato non ſubjaceat, Catholicorum Epiſcoporum judicio in Synodo præſidentium, & Auguſtini toties illud approbantis calculo, ſine ulla tergiverſatione eſſe damnatam.

Hinc illæ graviſſimæ Pelagianorum querimoniæ apud Hieronymum, qui poſt illam Synodum dialogos Attici & Crytobuli ſcripſit: [*Hieron. lib. 2. adverſ. Pelag.*] *Videris hominum accuſare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, qui tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia peccato carere non poſſint* &c. *ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium.* Et quaſi contra Scripturas iſta à Ca- D tholicis docerentur: *Da*, inquit, *teſtimonium non inſtrumenti* (veteris) *ubi error & ignorantia & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine.* [*Ibid.*] Ecce audis talem naturam, ut oblivione & ignorantiâ carere *non poſſit*: ideoque culpam retorqueri in Deum: *audis impoſſibilitatem*, ſeu *abla-*

*tam poſſibilitatem* vitandi. Quod certiſſimum eſt adverſus ignorantiam invincibilem dirigi. Vnde & Dei juſtitiam, qui imputaret ea, quæ caveri non poterant, redarguendo clamabant: *Rogo quæ eſt iſta iuſtitia ut in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & eius rei, quam neſcio, pœnas luo. Et qui plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Quæ ſanè querelæ nullo poſſunt adverſus Dei juſtitiam colore retorqueri, ubi voluntas negligentiæ reatum habet; ubi diſcendi inertia ſe peccaſſe novit; imo ubi voluntas diſcere nolens, ſponte peccavit. Quapropter nunquam Hieronymus ad voluntatis inertiam, vel diſcendi negligentiam fugit, cui ignorantiæ reatum tribuat; ſed potiùs ad profunditatem judiciorum Dei. Nam repetitis illis Pelagianæ ſuperbiæ querimonijs ita reponit: *A me ſententiæ & diſpoſitionis Dei cauſas requiris? Reſpondet ſtultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ: Altiora te ne quæſieris.* Et paulo inferiùs, quia repudiari à pervicacibus iſta ſcriptura potuiſſet, ut Pelagianis moris erat, ex Apoſtolo eandem proſequitur reſponſionem: *Ac ne fortè huic volumini contradicas audi Apoſtolum Evangelica clangentem tuba: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius! Quis enim cognovit ſenſum Domini?* Et mox ex libro Eccleſiaſtis: *De quo certè libro*, inquit, *nulla eſt ambiguitas: Dixi; Sapiens efficiar; & ipſa longè facta eſt à me. Profunda profunditas, quis eam inveniet?* Quis non videt & reſponſiones iſtas Doctoris Catholici ineptiſſimas eſſe, & ſtultiſſimas Pelagianorũ querimonias, ſi de ignorantia cujus voluntas cauſam & culpam dedit, controverſia verteretur? Nam neque tyrones primis principijs Theologiæ tincti, neque mulierculæ de foro, neque de ſtiva ruſtici diffitentur, non minùs jure plecti diſcendi à peritis, quàm docendi imperitos negligentiam. Quis enim neſciat, omnem neglectum officij eſſe culpabilem?

Hieron. lib. 1. adverſ. Pelag.

Ibid. lib. 1.

Eccleſ.

## CAPVT TERTIVM.

### Idem oſtendunt varia Auguſtini loca.

QVÆ quamvis ita manifeſta ſint, ut quicquid ad ea ulteriùs illuſtranda proferas, obſcuritatem potiùs, quàm lucem allaturum eſſe videatur, operæ pretium tamen fuerit diſquirere, num à ſeipſo Auguſtinus librum de geſtis Pelagij ſcribente non diſſentiat alijs in operibus, quæ adverſus Pelagianos condidit. Cùm enim liber iſte paulo poſt exortum hæreſis Pelagianę ſcriptus ſit, ut judices Palæſtinos de Pelagiana hęreſi rectè judicaſſe defenderet, ſi aliud in alijs præſertim poſterioribus, ideoq; maturioribus ſcriptis docuit, doctrinam iſtam ſupra traditam vel non ſatis expendiſſe, vel retractaſſe, vel certè aliquid judicibus illis Catholicis tribuiſſe videri poteſt, ne cauſam communem adverſus hoſtes fidei defendens, importunâ illi tempori ſeveritate deprimeret. Quòd ſi ſecunda primis, & prima vltimis conſentanea ſint, & quod ſemel cum judicibus Palæſtinis, ipſoque Pelagio damnante, damnavit, hoc poſtea conſtanter damnandum eſſe tradidit, doctrinamq; in illa Synodo ſancitam, & à ſe probatam docuit, tum verò nemini dubium eſſe poterit, quænam fuerit Celeſtij mens, dum *ignorantiam, quæ ſecundùm neceſſitatem evenit, non ſecundùm voluntatem*, peccato non ſubjacere contendit; quæque judicum condemnantium, quæ Auguſtini, ſententiam eorũ ſuo calculo cõprobantis.

Quapropter ne quid ſcrupuli cuiquam de ſuprà dicta Palæſtinæ Synodi, & Auguſtini mente remaneat, non eſt difficile oſtendere, in hac doctrina conſtitiſſe ſibi ſemper Auguſtinum; nec aliud quicquam adverſus Pelagianos docuiſſe, quàm id quod eum docuiſſe tradidimus. Nam in libro de natura & gratia, ubi cum Pelagio adhuc velut amico diſputat, & ejus dogmata ſcrupuloſiſſimè trutinat, & ubicunque propinquat veritati, benevolentiſſimè notat, cùm Pelagius vincibilem ignorantiam peccati ream eſſe, evidentiſſimè hiſce verbis admitteret: *Hominem prævigilare debere, ne ignoret: ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet*; diſtinguit Auguſtinus duplicem ignorantiam, aliam quæ oritur ex hominis negligentia, qua ſcire non curat quid faciendum ſit; aliam ex impotentia, qua ſcire non poteſt, etiamſi velit; & ex utroque capite ait peccata contingere: adverſus illam opus eſſe diligentiâ adverſus hanc divinâ ſapientiâ, quæ precibus impetrari debet: *Tractat*, inquit, *etiam iſte de peccatis ignorantiæ, & dicit &c. dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret & dicat: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua. Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* Vbi quod Auguſtinus dicit hujuſmodi facere contra legem, non eſt aliud quàm hujuſmodi verè peccare, etſi quod lex jubeat, id eſt, quid faciendum ſit, ſcire velint, nec poſſint intelligere quid lex fieri velit. Nam ea iſtic inter Auguſtinum & Pelagium fervet diſputatio, utrum homo ſine peccato poſſet vivere, ſi velit? Aiebat Pelagius, negabat Auguſtinus; eo quòd ignorantiæ peccata homo vitare non poſſit, etiamſi velit: hujuſmodi enim ignorantia, cùm ſit invincibilis, ſolâ Dei gratiâ magnis precibus impetrandâ fugari poteſt. Nam per gratiam omnes ignorantiæ

Lib. de nat. & gr.

Ibid.

tenebras

tenebras etiam invincibilis ab hominibus fide jam imbutis fugari poſſe, nemo Catholicus negat: qui autem & fide caret, etiam iſto præſidio adverſus invincibilem ignorantiam deſtituitur, quemadmodum in Auguſtini doctrina certum eſt: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?*

Rom. 10.

Nec ibi tantùm, ſed paſſim alibi eandem doctrinam tradit. Nam in initium Pſalmi 35. ita loquitur: *Non unum hominem, ſed genus hominum iniquorum dicit, qui ſibi adverſantur, non intelligendo ut bene vivant: non quia non poſſunt, ſed quia nolunt. Aliud eſt enim, quando quiſque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non poteſt, &c. aliud autem, quando pernicioſius agit adverſus ipſum cor humanum, ut quod poſſit intelligere, ſi bona voluntas accederet, non intelligat; non quia difficile eſt, ſed quia voluntas adverſa eſt. Hoc autem fit, dum amant peccata ſua, & oderunt præcepta Dei.* Quę poſtrema verba manifeſtant de rebus agibilibus intelligendis eſſe ſermonem. Et inferiùs in illa verba Pſalmi: *Noluit intelligere, ut bene ageret,* ſic Auguſtinus pergit: *Videtis, quia voluntati illud tribuit: quia ſunt homines, qui volunt intelligere, & non poſſunt: ſunt autem homines, qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt.* Porro utroſque verè peccare ex eo patet, quod paulo antè generaliter dicit: *Non ſciebam, quia peccatum eſt, quando dicit homo? Cum viderit, quia peccatum eſt, & deſtiterit facere ipſum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat.* Et poſtea ſolito more duplicem illam ignorantiam, voluntariam & non voluntariam diſtinguit. Paulò verò antè dixerat, eos qui nolunt intelligere *pernicioſius* adverſus ſeipſos agere, quàm eos, qui non poſſunt; hoc ipſo ſatis indicans, & eos qui non poſſunt intelligere perniciosè agere, etſi minùs.

Aug. in Pſal. 35.

Sed adhuc apertiùs in Epiſtola cẽteſima quinta, quam poſt damnatam Pelagianam hæreſin ſcripſit, poſtquam prę miſiſſet: *Humana ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrij, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt quod peccat;* tandem de ignorantia ſive voluntaria, ſive neceſſaria, hoc eſt ſive vincibili ſive invincibili, ſic concludit: *Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui iudicat, ſive qui non iudicat: quia & ipſa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta damnatio.* Ecce inexcuſabilem dicit omnem eſſe peccatorem, juſtamque damnationem ejus, ſive peccaverit, quia ſcire quid lex jubeat, noluit; ſive quia ſcire non potuit. Quod de gẽtilibus Dei lege atq; cognitione, ideoque & orationis ſubſidio deſtitutis pręcipuè intelligit. Nam propterea locum Apoſtoli allegaverat: *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Nam ex iſta in primis conſideratione celebris illa ſententia ab Auguſtino pronunciata eſt: *Neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Hoc enim intelligit de peccatis ignorantiæ, qua quis ignorat quid lex Dei, ſeu quid veritas fieri velit. Illa quippe evitari viâ veritatis hominem latente non poſſunt. Et illa ſunt quæ vocantur ab Auguſtino peccata neceſſitatis, non voluntatis quaſi ſcientiam negligentis, ut ex ipſo poſtea latiùs declarabitur. Hoc autem genus ignorantiæ, quia in infidelibus maximè viget, & non niſi valdè gratuitâ gratiâ quę naturæ viribus nullo pacto acquiri, & ad quam viribus naturæ nullatenus, juxta doctrinam Auguſtini & Apoſtolicam via ſterni poteſt, ſed gratuitâ omnino divini ſpiritus voluntate, non ubilibet, ſed ubi vult ſpirante, dari debet, hinc alibi: *Vel hinc ſaltem confiteatur eſſe miſerabiles tenebras in animo humano, qui ſcit, quemadmodum debeat leonem domare, & neſcit quemadmodum vivere. An & hoc ut ſciat ſufficit ei liberum arbitrium, lexque naturalis? Hæc eſt ſapientia verbi, qua evacuatur crux Chriſti.*

Epiſt. 105. ad Sixtum.

Ibid.

Rom. 2.

Lib. de Spir. & Litt. c. 3.

Lib. de nat. & grat. c. 40

Nec verò iſtud invincibilis genus ignorantiæ quæ ſuperari voluntate non poteſt, in infidelibus tantùm, ſed etjam in profitentibus fidem Catholicam vitæq; ſanctitatem, & ex illa tamẽ ignorantia verè peccantibus, ſecundùm eandem Auguſtini doctrinam locum habet. Nam libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſſione, ubi ex profeſſo diſputat, unde cõtingat, ut nemo etjam fidelis in hac vita tanta juſtitiæ perfectione vivat, ut eam ſine omni peccati labe pertranſeat, ad duo omninò capita omnes cauſas revocat, ad ignorantiam agendorum, & ad infirmitatem implendorũ quæ jam agenda cognovimus. Neutram autem ſuperare in hominis ſolius poteſtate eſt, ſed in gratia Dei: quam quòd non tribuit alicui, occulto ejus judicio aſcribi debet: *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſive quia latet an iuſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum ſit novimus, eoq; delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt quæ hominum adiuvat voluntates.* Iſtud porrò ita eſſe gratiæ Dei, ut non eam homo quandocunq; voluerit in ſua habeat poteſtate, ſed tunc tantùm ei detur vel negetur, cùm propter occultas cauſas Deo viſum fuerit, utpote qui ad ſuperbiam ſive deprimendam, ſive cavendam, vel ad gratiæ beneficiũ luculentiùs demonſtrãdum, eam ſæpè ſubtrahit, ſtatim in ſequentibus perſpicuè docet: *Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe vel quod ſcit, vel quod delectatur; & ſic ab elationis vanitate ſanetur.* Et in libro de Spiritu & littera doctrinam iſtam ſummis diſputandi viribus aſſerit, & aſſerendo declarat. Docet enim perfectam quidem juſtitiam, qua ſine omni peccato vivat homo, eſſe poſſibilem, ſi Deus hoc in homine operetur, gratiæ luce tollendo ignorantiam, & gratiæ fortitudine adjuvando infirmitatem: quod niſi fecerit, eſſe homini prorſus impoſſibilem. Cur autem Deus nolit

Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.

Ibid.



facere,

*Lib. de Spir. & Litt. c. 35* facere, ipſius eſſe judicio relinquendum. *Ecce,* A inquit, *quemadmodum ſine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt. Fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret,* (id eſt, ſi nullâ eorum ignorantiâ, quæ ſecundùm juſtitiam ſunt facienda, premeremur) *& ea ſic delectarent animum &c. quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad iudicium Dei pertinet.* Nempe, quia propter occultas cauſas lucem gratiæ, qua tollitur ignorantia, & gratiæ robur, quo juvatur infirmitas, non vult tribuere; quibus ſubtractis ignorantiam & infirmitatem homo ſuperare nullo pacto poteſt. *Ibid.* *Quis enim neſciat,* adijcit Auguſtinus, *non eſſe in hominis poteſtate, quid ſciat? Nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, niſi tantùm delectet, quantùm diligendum eſt?* Vbi clarè docet, ignorantiam, niſi Deus gratiæ lucem infuderit, eſſe homini invincibi- B lem, hoc eſt, nullâ hominis poteſtate poſſe ſuperari: & tamen ex illo capite fieri, ne ſine peccatis vita humana tranſigatur. Hinc paulo pòſt, cùm ſibi opponeret, quòd homo ſciendo præceptum iſtud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde; omnia ad cognitionem juſtitiæ, id eſt, ad rectè vivendum neceſſaria ſcire videretur, *Ibid. c. 36.* reſpondendo ſubijcit: *Qui hoc attendit, etiam illud attendat, quàm in multis offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere vel non diſplicere, quod facimus; & poſtea per ſcripturam eius, ſive certa & perſpicua ratione commoniti, cum didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoſcat. Plena humana vita eſt documentis talibus. Vnde autem minùs novimus, quid ei placeat, niſi quia ipſe minùs notus eſt nobis?* Ecce etjam juſtorum vitam talibus ignorantiæ peccatis plenam eſſe teſtatur, de quibus poſtea veniam poſtulant, cùm eos vel ſcripturæ teſtimonium, vel oborta lux perſpicuæ ratiocinationis erudierit. Ne- C mo autem tanti ſtudij tantæque eruditionis eſt, qui iſtud ignorantiæ ingenitæ malum funditus exſtirpaverit, vel ita vicerit, aut vincere queat (niſi Deus eum miraculoſæ quodammodo gratiæ luce præveniat) ut non hujuſmodi lapſibus frequenter in hujus vitæ tenebris titubet. Quod quicunque veraciter pius eſt, in ſeipſo fieri, experientia convincente, confitetur. Nam quantæcunque fuerit eruditionis atque diligentiæ, ut ignorantiam ſive ſtudendo, ſive doctiores conſulendo vincat, ſæpe tamen in multis caſibus aliquid ſe feciſſe deprehendet, quod cum putaret bonum, malum fuiſſe, vel ratio diligentiùs ponderata, vel ſcriptura intellecta convincet. Hæc autem ſunt illa peccata ignorantiæ, de quibus Auguſtinus teſtatur, juſtos pœnitendo deprecari. Hanc autem ignorantiam invincibilem fuiſſe, teſtis evidẽs eſt illa continua ſciendi officij ſui diligentia. Nulla enim diligentia hoc efficere poteſt, ut non in il- D lis rebus, de quibus nulla vel cogitatio ei oborta fuerat, per talem ſubinde juſtitiæ ignorantiam prolabatur. Eſt enim ita profundè corruptæ naturæ medullis inſita, ut non poſſit ab hominibus, non tantùm infidelibus, ſed nec

A fidelibus baptiſmo ſanctificatis, continuò exſtirpari. Paulatim enim animus gratia eum colluſtrante purgatur: interea verò, dum iſtud & eruditionis & juſtitiæ luce pedetentim creſcente fit, multa ab ignorantibus etiam invitis perpetrantur mala, quæ Dei lege damnantur. Vnde Auguſtinus iſtius ſecreti, ſuæq; diligentiæ probè conſcius: *In multis,* inquit, *quantùm* *In Pſal. 99.* *nobis innoteſcit voluntas Dei, etiam reatus noſter innoteſcit nobis: & quanto ille nobis innoteſcit, tanto plùs imus in fletus, & lachrimas.* Ecce etiam in tanto viro, ſive per Scripturæ ſtudium, ſive per lumen gratiæ, creſcente ſcientiâ veritatis, creſcebat notitia reatus ejus, quem antea latente veritate neſciebat. Nec dubium videtur, quin invincibilis in ipſo fuerit, eo modo, quo invincibilis à nobis dici ſolet. Nam reſpectu gratiæ Dei nulla ignorantia eſt invincibilis. Et paulo pòſt: *Quantumlibet proficiamus, novit* *Ibid.* B *ipſe peccata noſtra; aliquando & nobis oſtendit illa, & videmus & nos peccata noſtra.* Si aliquando oſtendit nobis, ergo plerumque etiam ignorantur à nobis, quantumcunque profecerimus. Et rurſum de ſuis perplexitatibus diſſerens, in eligendo, quid agi debeat, cùm circumſtantiæ ſuadentes & diſſuadentes hinc inde premunt: *Hic,* inquit, *non falli difficile eſt,* *Epiſt.* *hic omnino vox Prophetica prævalet: Delicta quis intelligit?* Si tantus vir in iſto boni & mali diſcrimine dignoſcendo, etiam veritatem indagando, ſentit ſibi difficile eſſe non falli; & hoc delictum eſſe profitetur, quis de ignorantia ſua quantumvis probabili & invincibili ſibi blandietur? Si enim in ullo eſt invincibilis, certè in viro tantæ eruditionis, & diligentiæ, & ſollicitudinis, & ſanctitatis, invincibilis fuit: & tamen ſine peccato non fuit. Cauſa verò, cur tam pertinaciter ignorantia nobis adhæreat, non eſt alia, niſi quia pœna iſta no- C biſcum naſcitur: & ideo quaſi in naturam verſa difficillimè, ſed paulatim vincitur, & interea velut à cœcis ambulantibus neceſſariò offenditur. Hinc Auguſtinus: *Omni peccato caret,* (baptizatus) *non omni malo: quod planius ita* *Lib. 6. contr. Iul. c. 16.* *dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis? Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Et quantum ſit hoc malum, & quàm impediat, ut homo etiam volens non poſſit ſcire, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtatim ex Apoſtolo probat: *An parvum malũ eſt, per quod homo non percipit quæ* *Ibid.* *ſunt ſpiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus: Animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi; & non poteſt ſcire, quoniam ſpiritualiter dijudicatur.* Et aliquanto inferiùs: *Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo* *Ibid.* *in lavacro regenerationis, ubi tamen caruerant omnibus ſine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitabat ſpiritus Dei, ſtul-* D *titia erant quæ ſunt ſpiritus Dei.* Quis verò dubitet, hujuſmodi ignorantiam recenter baptizatis nullo modo eſſe voluntariam, ſed prorſus invincibilem, utpote quæ nullâ diligentiâ confeſtim tolli, ſed paulatim tantũ proficiendo minui poteſt: cùm tamen eis interea ſpiritualis ſtultitia,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtultitia, Apoſtolo teſte, videantur, & inde
plurima peccata ab ignorantibus perpetrentur.
Vnde ibidem Auguſtinus: *De die in diem ſi pro-*
*ficerent* (iſti Corinthij) *& in quod pervenerant, in*
*eo ambularent, ſanâ profectò accedente doctrinâ*
*minueretur hoc malum. Credamus etiam non tan-*
*tum minui, verùm etiam in hac vita poſſe conſumi,*
*tamen poſt baptiſmum.* Vbi quod dicit; Creda-
mus in hac vita poſſe conſumi; non aſſerens,
ſed indulgens adverſario ſuo, per hypotheti-
cam ſuppoſitionem loquitur: nam ut ſtatim
adjicit: *Ignorantia minuitur veritate magis magiſq́;*
*lucente: concupiſcentia minuitur charitate magis ma-*
*giſq́; creſcente.* Vtraque verò, non minùs veri-
tas agendæ juſtitiæ magis lucere, quàm chari-
tas fervere, uſque ad finem vitæ in baptizatis
poteſt. Sed ſive ignorantia ingenita in hac vita
poſſit aut non poſſit auferri, propoſito noſtro
ſatis, non ſtatim iſtud per baptiſmum, ut Au-
guſtinus hîc docet, in baptizatis fieri; ſed lon-
gâ quadam ac diligenti exercitatione juſtitiæ:
cùm tamen interim, quamtumvis inviti atque
diligentes, multa quæ ad juſtitiam ſpectant,
animo adhuc carnales neſciant, & in iſtis animi
tenebris conſtituti impingendo delinquant.

Hoc igitur ſenſu celebris illa diviſio pecca-
torum intelligenda eſt, qua paſſim Auguſti-
nus docet, peccata omnia juſtorum, partim
ex ignorantia, partim ex infirmitate contin-
gere: ut tum ex ſupra dictis, tum ex alijs
multis ejus teſtimonijs intelligi poteſt. Hinc
enim illa in Auguſtini ſcriptis perquàm fami-
*Lib.2.de pec. merit.c.2.* liaria & uſitata: *Vnde fit conſequens* (ex Pelagij
dogmate) *ut nec orare debeamus, ne intremus in*
*tentationem, hoc eſt, ne tentatione vincamur, vel*
*cùm fallit & praoccupat neſcientes, vel cùm premit*
*atque urget infirmos.* Et in ejuſdem operis libro
*Lib.1.c.ult.* primo: *Fit ut, per ignorantiam vel infirmitatem,*
*non exſertis adverſus eam* (concupiſcentiam) *to-*
*tis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla*
*Cap.35.* *cedamus.* Et in libro de natura & gratia: *Licet*
*mori ſine peccato, dum ſubinde venia deletur, quod*
*ſubinde ignorantiâ vel infirmitate committitur.* Et
*Cap.3.* libro primo ad Bonifacium: *Neque enim agit in*
*eis etiam qui ſuadet & decipit, niſi ut peccatum vo-*
*luntate committant, vel ignorantia veritatis, vel de-*
*lectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis*
*& infirmitatis.* Quod in eodem libro inferiùs
*Cap.13.* tunc fieri docet, *cùm ab eo quod libet* (id eſt, à
libidine, ſeu concupiſcentia) *vincitur quod placet,*
id eſt, quod ratione velut verum bonum com-
placet; *ſive cùm per ignorantiam malum quaſi bo-*
*num placet.* Hæc enim & ſimilia, quæ crebro in
ſcriptis ejus obvia ſunt, non loquuntur de illa
ignorantia, quæ ex hominum negligentia, vel
torpore, vel incuriâ, quocunque eam nomine
appellare viſum eſt, ſed de illa, quæ cum omni
homine profunda naſcitur; & illius primi &
ineffabilis pœna peccati eſt; nec pro libitu ho-
minis, ſed per gratiam Dei minuenda atq; tol-
lenda eſt. Nam illa peccata, quæ ex torpida
voluntate naſcuntur, quâ negligit ea diſcere,
quæ ad juſtitiam agendam pertinent, veriùs
negligentiæ, quàm ignorantiæ peccata ab Au-
guſtino dici ſolent. Hinc Pelagio culpante
diſcendi negligentiam, & peccata, quæ inde
proficiſcuntur, ingenuè cum Catholicis con-
demnante, reſpondet Auguſtinus, ut ſuprà vi-
dimus: *Aliud eſt, non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ*
*peccata etiam per ſacramenta quadam legis videban-*
*tur expiari, aliud intelligere velle, nec poſſe &c.* quaſi
diceret, non propter peccata, quæ ex diſcendi
proficiſcuntur negligentia, dicimus hominum
vitam ſine peccatis eſſe non poſſe, ſed propter
illa, quæ ex alia naſcuntur ignorantia innata
homini, quâ vult, nec poteſt ſcire quod juſtum
eſt. Vnde & alibi diſtinguit peccata, quæ ig-
norando fiunt, ab eis quæ negligendo, & obli-
viſcendo, & non intelligendo, committuntur.
*Si non fornicetur anima humana adhærendo Deo, nec* *In Fragmẽto 3. Serm.1. Tom.10.*
*adhærendo mundo, quæcunque alia peccata à concupi-*
*ſcentia carnali prorſus aliena potuerit pro ipſa fragi-*
*litate mortalitatis, vel ignorando, vel negligendo, vel*
*obliviſcendo, vel non intelligendo homo incurrere, hoc*
*ſit quod dictum eſt &c.* Vbi peccata non intelli-
gendo facta, illa videntur eſſe, in quibus homo
peccat, non propriè ignorando, ſed intelligen-
tiâ non penetrando, quod intelligere poteſt ac
debet; ut in eis qui alios docent contingere
poteſt. Illa vero peccata, quæ non negligendo,
vel obliviſcendo, ſed ſimpliciter ignorãdo per-
petrantur, ex illa ſcilicet ignorantia, in quam
pœnaliter ex peccato præcipitati ſumus, ſim-
pliciter dicuntur peccata ignorantię, de quibus
exponere ſolet illud: *Delicta iuventutis meæ, &*
*ignorantias meas ne memineris.* Nam cùm alibi,
cauſam adverſus Pelagium agens, quæreret il-
lius ignorantię profundiſſimæ, in qua parvulus
ab utero prodiens, & per aliquot menſes atque
annos ſepultus jacet, objicit ſibi: *An nullum eſt*
*ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum?* Et con-
tinuò reſpondet ſibi: *Et quid agit illa vox: De-*
*licta iuventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memine-*
*ris? Etſi enim damnabiliora peccata ſunt, quæ ab*
*ſcientibus committuntur; tamen ſi ignorantiæ pec-*
*cata nulla eſſent, hoc non legeremus, quod comme-*
*moravi.* Vnde ſtatim probat, naturam, quæ cum
tali ignorantia naſcitur, eſſe vitiatam. Hinc
alibi talem ignorantiam ſimplicem neſcientiã
vocat, ut ab ea diſtinguat, quæ voluntatem
conjunctam habet. *Aliud eſt,* inquit, *neſciſſe, aliud* *Lib. de grat. & lib. arbit. c. 3.*
*neſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de*
*quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed &*
*illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed*
*eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic*
*excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea*
*non credidit, quia non audivit omnino quid crederet:*
*ſed fortaſſis, ut mitius ardeat. Non enim ſine cauſa*
*dictum eſt: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non*
*noverunt.* Vbi ſub ſimplici illa neſcientia, illam
omnem comprehendit ignorantiam, quæ vo-
luntatis culpa, ſive negligentis, ſive intelligere
nolentis caret; tametſi alterum membrum ſo-
lius affectatæ ignorãtiæ exemplo declaraverit.
Nam de ſimplici illa neſcientia jam præceſſe-
rat, quòd gentes quædam ſine lege peccaſſent,
hoc eſt, idcirco peccaſſent, eſſentq; perituræ,
quòd nunquam juſtitiã ex Dei lege didiciſſent.
Hinc eſt, quòd conſultus de ignorantia, qua
quiſpiam, cùm de rei malitia bonitateq; dubi-



taſſet

taſſet, & antea putaſſet malam, poſtea facit eam putans bonam, ſine ulla diſtinctione juxta principium de ignorantia jam ſæpè tactum generalem ſententiam deciſivamque pronuntiat: *Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando, utique peccat. Et ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque benè fieri putat, quod malè fit.*

# CAPVT QVARTVM.

## Difficultas de libertate & voluntario ad omne peccatum neceſſarijs ex Auguſtino ſolvitur.

SED hîc gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus inſolubilis, quî fieri poſſit, ut ex invincibili ignorantia peccatum poſſit proficiſci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque ſcit, neque ſcire potuit, nec voluntate ſua ſive volente ſive torpeſcente talis ignorantiæ cauſam dedit? Hujuſmodi enim peccata jam non erunt ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò neceſſarium eſt; ſed neceſſaria. Et quis credat, tale portentum doctiſſimum ſanctiſſimumq; virum docere potuiſſe? Si te, benigne Lector, iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me; non tamen ita, ut vel dubitem doctrinam iſtam Auguſtinum tradidiſſe, vel in ea tradenda fluctuaſſe, vel hallucinatum eſſe; ſed potiùs, ut obſtupeſcam & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei. Certiſſimum eſt enim, quantum excuſſis magno labore diligentiaque principijs Auguſtini, & anfractibus doctrinæ ipſius, mihi judicare licet, hoc Auguſtinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæſtinum ſine ulla fluctuatione, ut rem in Catholica Eccleſia extra omnem controverſiam, tamquam in Scripturis traditam docuiſſe: rectè an ſecus, pietas noſtra in dubium revocare non ſinit, ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, qua de Pelagiana hæreſi triumphatum eſt, in dubium revocemus. Quæcunque nos hîc movent, rationis humanæ, ſed plerumque vanæ, terriculamenta ſunt; hæc munimenta divina ſunt. Catholica doctrina non Ariſtotelicis argumentis & argutijs nititur vel terretur: ſed è Scripturis ſacris hauſta, majorumve traditione ad nos tranſmiſſa adverſus omnes hujuſmodi machinas ſtat immobilis & imperterrita. Non terruit illa difficultas Auguſtinum & antiquam Eccleſiam; neque nos ſanè, ſi filij non degeneres eſſe volumus, terrere debet. Fallitur enim quiſquis putat, hujuſmodi peccandi neceſſitatem, quæ ex iſta doctrina ſequitur, à qua per nullam humanarum virium diligentiam, ſed per ſolam miſericordiam Dei homo liberari poteſt, oculatiſſimum profundiſſimumque Doctorem latuiſſe. Quod cùm ex ejus ſcriptis oſtenderimus, & hujuſce arcanæ ac tremendæ doctrinæ radicem tetigerimus, longè evidentiùs fiet, ipſiſſimam hanc doctrinam eſſe, quam adverſus Pelagianos conſtantiſſimè aſſeruit.

Auguſtinus igitur ſtatim à converſione ſua, ut ſtudium ſuum Eccleſiæ Catholicæ probaret, in cujus gremio ſe condiderat, ſummis eruditionis viribus Manichæam hæreſim, quam reliquerat, proſternere aggreſſus eſt. Vt autem eam radicitus ſuccideret, irrefragabilibus argumentis aſtruxit, malum non ex aliqua natura mala, non ex Deo autore omnis boni; ſed ex ſola voluntate velut prima radice proficiſci. Itaque cùm Eccleſia nullis adhuc Pelagianis machinis quateretur, ſecuriſſimè definivit peccatum in hunc modum: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Hinc eadem ſecuritate dixit: *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Rurſum alibi: *Vſque adeò*, inquam, *peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Et ſimilia, quæ paſſim in libris ante exortam Pelagianam hæreſim exaratis contra Manichæos aſſeruit. Arripuerunt hæc aviditſſimè Pelagiani, uſque adeò, ut Iulianus Auguſtinum proprio transfixurus gladio, ſic de iſta definitione peccati exclamaverit: *O lucens aurum in ſtercore! Quid verius, quid plenius dici à quoquam vel Orthodoxo potuiſſet?* Nihil enim capitaliùs videbatur contrarium originali peccato, cæteriſque, quæ quâdam neceſſitatis catenâ ex illo religatâ ſequebantur, quàm hujuſmodi peccati definitio, quæ libertatis ac voluntarij rationem, cavendique poſſibilitatem velut omninò neceſſariam poſtulabat. Sed tantùm abeſt, ut Auguſtinus hujuſmodi ſuis pronunciatis, quæ ante exortam hæreſim Pelagianam aſſeruerat, territus fuerit, vel aliquid in doctrina iſtius invincibilis ignorantiæ, quã tradidimus, immutaverit, ut potiùs è contrario neceſſitatem peccandi ex ea conſequi ingenuè faſſus fuerit; imò velut rem certiſſimam protulerit, ex qua neceſſitas illa, quæ in originali peccato, ſine omni omninò perſonalis voluntatis voluntario cernitur, evidentiùs probaretur, & pleniùs innoteſceret. Nam cùm Iulianus ei objiceret. *Vide igitur, quàm illud, quod eſſe peccatum ratio demonſtrat, inveniri nequeat in ſeminibus*, (quæ periphraſis eſt peccati originalis) *quando ſecundum definitiones tuas iam nec in moribus invenitur.* Reſpondet ei magnâ fiduciâ Auguſtinus: *Multùm erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nullâ neceſſitate*

A *neceſſitate commiſſum eſt.* Et cùm protuliſſet ad aſſerendam peccandi neceſſitatem, quædam peccata violentiſſimæ conſuetudinis, tandem de ipſis illis peccatis ignorantiæ, de qua tractamus, ita ſubjicit: *Deinde cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quanto labore diſcatur. Qui autem neſciunt, ipſam boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi neceſſitatem. neceſſe eſt enim ut peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit.* Ecce apertiſſimè aſſertam peccandi neceſſitatem, quæ ex ignorantia proficiſcitur. Nimirum ut declararet, non propterea peccatum originale peccatum eſſe deſinere, etſi in eo neceſſitas quædam cerneretur. Et ne quis fortaſſe ſuſpicaretur, Auguſtinum de peccatis non propriè dictis loqui, lectoris cogitationem prævolando: *De quo genere malorum*, inquit, *Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta iuventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum* B *ſi non imputaret Deus iuſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis. Vnde dicit & Dei famulus Iob: Signaſti peccata mea in ſacculo, & annotaſti, ſiquid invitus commiſi.* Pro quo alibi legit: *Invitus erravi: invitum autem errare, pœna peccati eſt.* Cujuſmodi *peccatis de ignorantiæ neceſſitate venientibus plenum eſſe genus humanum*, paulo inferiùs docet. Cùm verò Iulianus humanæ rationis invicta claritate fretus, veluti de parta victoria ſibi gratulando, petulanter occineret: *Totum ergo figmentum neceſſitatis evanuit; ac per hoc nullum eſt de naturæ conditione peccatum, ſed liberum arbitrium in natura hominum perſeverat;* retundit ejus audaciam Auguſtinus, & obſcuram peccati originalis neceſſitatem alterius neceſſitatis perſpicuitate declarans: *Neceſſe eſt ut peccet, à quo ignoratur iuſtitia: Nunquid ideo, cùm iuſtitiam cognoverit, non ſunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ neceſſitate commiſit?* &c. *Non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi: ſed ut* C *non obſit iſta neceſſitas, donat ille, cui dicitur: De neceſſitatibus meis erue me.* Ex his manifeſtiſſimè liquet, eam peccandi neceſſitatem, quæ ex ignorantia illa invincibili ſequitur, & nobis objicitur ad infringendam, vel in alium ſenſum detorquendam doctrinam Auguſtini, ſeu Eccleſiæ, quam paulò antè declaravimus, etjam à Pelagianis fuiſſe exagitatam, & ab Auguſtino agnitam, & ita conſtanter admiſſam, ut eam velut rem ſine ambiguitate perſpicuam, ad illuſtrandam peccati originalis velut obſcuram veritatem atque neceſſitatem, allegaverit. Docet enim illis ignorantiæ peccatis plenum eſſe genus humanum; eſſe quantumvis neceſſaria, tamen vera peccata; ad culpam imputari; remiſſione delenda; pœnis plectenda; in illa neceſſitate peccandi nullam impunitatis eſſe ſecuritatem. De invincibili ignorantia ſermonem eſſe res ipſa clamat: nam ignorantiam negligentiæ culpabilem eſſe, diſertis verbis Pelagius & Iulianus admittit & prædicat; D & ad oſtendendam peccati originalis quamvis neceſſarij veritatem nihil facit, cùm libera voluntate ſive eligente ſive negligente contrahatur.

*Ibid.*

*Ibid, f. 156.*

*Annotat. in Iob c. 14.*

*Lib. 1. oper. imp. citato fol. 157.*

*Lib. 1. oper. imp. f. 159.*

A Sed hoc ipſum adhuc longè uberiùs conſtabit, ſi oſtenderimus, quo pacto ab illarum ſententiarum ac definitionum ſuarum laqueis, quæ voluntatem, ac libertatem, cavendique poteſtatem, applaudentibus urgentibuſque inſtantiſſimè Pelagianis, ad peccati rationem poſtulant, ſe Auguſtinus expediat. Quod quia paulò pòſt, cùm de peccati natura diſputabitur, ex profeſſo declarari debet, hîc paucis verbis rem iſtam tangere ſufficiet.

*Vide infrà lib. 4 de ſtatu naturæ lapſæ c. 21. & penè toto lib. 3. & 4*

Cùm ergò Doctor profundiſſimus proprijs ſuis principijs de peccati libertate à Pelagianis premeretur, ut proprio ipſius teſtimonio neceſſitas illa peccatorum ſive originalium ſive actualium everteretur, nunquam ad aliquam impropriam ſive peccati ſive neceſſitatis acceptionē fugit: ſed admiſſis omnibus, quæ velut abſurda adverſarij proferebant, aſſeveranter docuit, hujuſmodi ſententias ac definitiones B ſuas non eſſe de quolibet peccato intelligēdas; ſed de illo ſolo quod in paradiſo primus parēs ſūma voluntatis libertate perpetravit. Duplex quippe peccatū diſtinguere ſolet Auguſt. aliud quidem, quod peccatum tantùm ſit, aliud, quod ita peccatum ſit, ut ſit etjam pœna peccati. Illud ita eſſe in motu voluntatis, ut ſit liberum inde abſtinere; hoc verò non eſſe liberum, ſed pœnâ ex judicio Dei peccatorem premente & puniente neceſſarium; hactenùs tamen liberum, quia ex voluntate liberè peccante hujuſmodi pœna proficiſcitur. Ipſum igitur cum Iuliano diſceptantem audiamus. Cùm igitur Iulianus definitionem illam peccati, quæ requirit, *ut ſit liberum inde abſtinere*, ſuo calculo probaſſet, & *aurum* vocaſſet *lucens in ſtercore*; ut per eam peccatum originale tolleret, quod adhuc multo minùs voluntarium eſt, quàm peccatum invincibilis ignorantiæ vel concupiſcentiæ, reſpondet Augu- C ſtinus: *Hîc peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur; quale commiſſum eſt à primo homine ante omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* Et rurſum eandem abſtinendi libertatem inculcante Iuliano, eandem reſponſionem ſuam in eodem libro & alibi Auguſtinus inculcat: Peccatum enim tantùm, & peccatum, quod ſimul eſt pœna, itentidem diſtinguit: illud eſſe prorſus liberum & voluntarium; hoc non item. *Poteſt videri falſa hæc definitio;* (ſcilicet peccati, quam ſuprà dedimus) *ſed ſi diligenter diſcutiatur, invenietur eſſe veriſſima: peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati, ſicut ſuperius oſtendi, cùm quædam commemoratem ex libro tertio de libero arbitrio.* Quam doctrinam in eodē lib. 1. Retractationum aliquoties repetit; illo verò libro tertio D de libero arbitrio, quem ipſemet citat, cùm inſtantiſſimè docuiſſet, non eſſe peccatum, ſi propter ignorantiam caveri nullo modo poteſt, ſtatim ſimiliter explicat, ſe hoc de ignorantia naturali, ſeu naturæ nondum vitiatæ, ſed prorſus integræ, ſanæ, liberæque intelligere.

*Lib. 1. oper. imperf. f. 37.*

*Lib. 1. Retract. c. 13.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gere. Nam ſi ignorantia non ex natura, prout à Deo inſtituta eſt, fluat, ſed velut juſta peccati pœna peccantibus ſit inflicta, peccata, quæ conſequuntur vera peccata ſunt, etſi homo eâ fallente ignorantiâ cavere non poſſit. Audi **Lib 3. de lib. arb. c. 18.** argumentum: *An tanta*, inquit, *fallacia eſt, ut caveri peccatum omninò non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem: caveri igitur poteſt.* Ecce totum argumentum ab ipſo Auguſtino aſſertum, quod adverſus invincibilis ignorantiæ peccata moveri poteſt, & à Pelagianis motû fuit. Quis ergò hic ulli reſponſionis locus? Ille videlicet, & non alius, quem Auguſtinus ipſe non ſolùm ſenex cum Pelagianis dimicans, ſed recenter jam converſus ultro, nulliſque Pelagianis machinis coactus, dedit. Statim enim peccata opponit ignorantiæ, quæ cùm peccata ſint, caveri tamen non **Ibid.** poſſunt. *Et tamen*, inquit, *etiam per ignorantiam* B *facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus: Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: Delicta juventutis, & ignorantiæ ne memineris* &c. Et ſtatim ſolvens laqueum, & præcedenti doctrinæ non repu- **Ibid.** gnare declarans: *Sed hæc omnia hominum ſunt ex illa mortis damnatione venientium.* Qui ſic, Doctor ſublimiſſime? Quid hoc ad explicandam propoſitam objectionem facit? Audi: *Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt.* Nempe, quia ſi homo ſic eſt à Deo conditus, ut fallente ignorantia peccatum cavere non poſſit, juxta id quod ſuprà dixerat, jam nullum peccatum eſt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt, eo quòd ita naturaliter inſtitutus eſt? Hoc enim **Ibid.** invicta ratione probans, adjicit: *Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus eſt* (ſcilicet cum tanta ignorantia) *ita ut meliùs eſſe non* C *poſſit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet.* Ecce quo pacto intelligit, peccatum eſſe non poſſe, ſi ignorantia ita homini, nullo peccato præcedente, concreata eſt, ut peccatum caveri ea fallente non poſſit. Vbi de invincibili eum loqui, per ſe perſpicuum eſt: hæc eſt enim, qua fallente peccatum caveri non poteſt. Sed hoc ad ſtatum pœnalem, in quem incidimus, nulla ratione trahi debet. Quod ſtatim ipſe explicando ſubjungit: *Nunc autem quia ita eſt* (homo cum ignorantia) *non eſt bonus: nec habet in poteſtate ut bonus ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Et paulò inferiùs: *Relinquitur ergò, ut hæc juſta pœna de damnatione hominis veniat.* Nimirum, quia ſi non eſſet pœna, ſed naturaliter concreata, non eſſent peccata, D quę ex ignorantia committuntur, ut paulò antè probaverat; quæ tamen ex Scripturis allega- A tis eſſe peccata conſtat. Ergò ignorantia iſta pœna eſt. Et quia mira cuipiam iſta diſtinctio ignorantiæ naturalis & pœnalis videri poſſet, præoccupat objectionem: *Nec mirandum eſt*, **Ibid.** inquit, *quòd vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat* &c. *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque quo benè uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate ſi vellet: Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire, quid rectum ſit.* Et paulò poſt: *Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Et univerſam diſputationem illam, quâ peccatum omne cujuſvis fallentis ignorantiæ vel torquentis difficultatis caveri poſſe, vel peccatum non fore dixerat, ſic concludit: *Cùm autem de libera poteſtate rectè faciendi loquimur, de illa ſcilicet in qua homo factus eſt, loquimur.* Ecce quàm apertè, quàm disertè docet, peccata ignorantiæ, quæ nos ex peccato nati B perpetramus, nihil officere doctrinæ ſuæ, qua peccatū omne caveri poſſe tradiderat. Nempe, non quia per diligentiam eſt vincibilis, aut ſuperari poteſt, ſic enim contra hypotheſim eâdem diligentiâ peccatum caveri poſſet; ſed quia ignorantia illa non natura, ſed peccati pœna eſt: Quæ ſi pœna non eſſet, ſed natura, *nulla*, ut expreſsè dicit, *eſſent illa peccata*; nunc autem omninò peccata ſunt, quantumvis ea cavere, non ſit jam in damnati hominis poteſtate. Nunc enim non ex natura, ſed ex juſtiſſima peccati pœna *non habet in poteſtate, ut bonus ſit*, non videndo qualis eſſe debeat: Nunc *ignorando non habet liberum arbitrium ad eligendum, quid rectè faciat*; nunc *amiſit ſcire quid rectum ſit*, quod antè à Deo rectus factus acceperat: Nunc ſic *approbat falſa pro veris, ut erret invitus*, & propterea non deſinunt eſſe peccata, quæ pœnaliter ignorando perpetrantur; quia *cùm* C *de libera voluntate rectè faciendi* Auguſtinus *loquitur*, quam ad peccatum velut omninò neceſſarium ſæpiſſime poſtulaverat, *de illa ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquitur.* Quâ de re, cùm de libero arbitrio diſputandum erit, fuſiùs tractaturi ſumus. Satis eſt interim ex iſta iſtius argumenti objectione & ſolutione, quas ipſe Auguſtinus præformavit, longè evidentiùs patuiſſe id quod huc uſque oſtendere conati ſumus, pœnalem ignorantiam noſtram, in qua nati ſumus, etjam invincibilem & incavibilem nullo modo excuſare peccatum; quæ prorſus ab omni peccato purgaſſet perpetrantem, ſi Deus hominem cum ſimili ignorantia condidiſſet. Hoc ſi lector capit, gratuletur ſibi: ſi non capit, adhuc difficilius captu & cautu eſſe cogitet originale peccatum. Sed quia utrumque fidei facilè eſt, tribuamus utrumque arcanis tremendiſque judicijs Dei, ne contra res in antiqua Eccleſia certas, quan- D tùm judicare licet, argutijs humanis diſputando, non ſcientiæ veritatem capiamus, ſed ignorantiæ pœnam augeamus.

CAPVT

# CAPVT QVINTVM.

## Ignorantia invincibilis juris divini, naturalis, facti. Quænam peccatum non excuſet.

IAM verò operæ pretium eſt exponere, A utrum quævis ignorantia invincibilis talis ſit, ut quod inde ſequitur peccatum, veri peccati rationem habeat. Nam quantum ad præſens inſtitutum pertinet, duplex ignorantia eſt, alia juris, alia facti. Rurſus ignorantia juris, alia eſt juris divini poſitivi, alia naturalis. De ignorantia facti non eſſe doctrinam iſtam intelligendam, ſatis perſpicuum eſt. Illam enim ex diverſis locis Auguſtini conſtat reddere actum excuſabilem: nam cum Donatiſtis dimicans, qui alieno crimine fideles totius Orbis contaminatos eſſe Epiſt. 48. cenſebant; *Hos*, inquit, *ab hoc crimine innocentes eſſe, nempe ipſa ignorantia facillimè oſtendit. Cur ergò innocentes falſis criminibus accuſantur, quia crimina aliena ſeu falſa ſeu vera neſcierunt? Quis locus innocentiæ reſervatur, ſi crimen eſt proprium neſcire crimen alienum? Porrò ſi tot gentium populos ipſa ignorantia, ſicut dictum eſt, innocentes* B *oſtendit* &c. Vbi ex illa hypotheſi loquitur, quâ quis peccatis cognitis alios inquinari poſſe concederet. Talem enim à contaminatione alieni criminis ſola facti purgaret ignorantia. Lib. 2. cont. Creſcon. c. 26 Et rurſum alibi manifeſtius: *Si enim conſcientia propterea lædi non potuit, quia neſcivit; nunc incipit lædi, quia ſcivit*, eum ſcilicet eſſe malum, à quo baptizatur; *velut ſi tunicâ de latrocinio neſciens veſtiretur, ex illo ſit iniquitatis veſtis illa, ex quo cognoverit; & ipſe iniquus, niſi abiecerit: & qui neſciens uxorem duxerit alienam, ex illo ſit adulter, ex quo didicerit, niſi diſceſſerit.*

Ignorantiam quoque juris divini invincibilem à peccato immunem reddere juxta doctrinam Auguſtini, veriſimilius eſt: Nam illum locum Euangelij tractans: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem nôn habent de peccato ſuo*; ſæpè docet, non de quolibet, ſed de illo peccato magno infidelitatis eum accipiendum C eſſe, quo, Chriſto ad ſe non veniente, caruiſſent: Lib. 3. ad Boniſ. c. 3. *Non enim*, inquit, *peccatum antea non habebant; ſed ipſam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præſenti & loquenti crediderunt.* Et alibi: Epiſt. 50. in fin. *Aliquod proprium peccatum intelligi voluit, id eſt, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, ſi non veniret.* Quam expoſitionem cùm in tractatibus in Ioannem repetiſſet, proponit ſibi quęſtionē, utrum hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationē de peccato ſuo? Et reſpondet, Tract. 89. in Ioannem *habere illos excuſationē, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*: nempe vel per ſeipſum, vel per diſcipulos ſuos, ut ſtatim Ibid. explicat. Et inferiùs iterum: *Reſtat*, inquit, *inquirere, utrum hi, qui priuſquam Chriſtus veniret in Eccleſia ad gentes, & priuſquam Euangelium eius audirent, vitæ huius fine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſunt habere hanc excuſationem?* Et reſpondet iterum majori cum aſſeverantia; *poſſunt planè; ſed non ideo poſſunt effugere damnationem*; propter alia ſcilicet peccata, quibus lex naturæ violatur; *Quicunque enim*, ut adjicit, *ſine lege peccaverunt, ſine lege & peribunt.* Quòd ſi non audiſſe Euangelium Chriſti ſatis eſt, ut excuſationem habeant de ſua infidelitate gentiles, profectò ignorantia juris divini poſitivi invincibilis legitimam à peccato excuſationem tribuit: propriè quippe jus divinum poſitivum eſt, quod Euangelium continet, ut per ejus annunciationem Filij Dei incarnatio, & humani generis redemptio, & æterna vita credatur.

Quapropter non videtur Auguſtini doctrina ſuprà tradita de alia ignorantia intelligi poſſe, quá de illa, quæ dicitur eſſe *iuris naturalis*; quod naturæ dicimus, quia intimis conſcientiæ & rationis penetralibus, nullo humano magiſterio, ſed ipſius Dei creantis beneficio inſculpitur: at propter peccatum, in quo natura naſcitur, & quod peccandi conſuetudine poſtea adjicitur & roboratur, ita ſubinde lumen illud divinitus infixum hebeſcit & obtunditur, ut jus iſtud velut altiſſima quadam oblivione ſubmerſum ſit. Nec deſunt apertiſſima Auguſtini teſtimonia, quibus eum de ignorantia juris naturalis loqui, aſtrui & confirmari poteſt. Diſtinguere namque ſolet Auguſtinus duplicem, imò ſubinde quadruplicem ſtatum, non tantum humani generis totius, ſed etjam ſingularis cujuſque hominis, ante legem; ſub lege, ſub gratia, in pace. Ante legem homo in ignorantia rerum agendarum cavendarumque inſtar cæci vivit, concupiſcentias carnales non tantùm libenter ſequens, ſed etjam bonas putans; in quo ſtatu homo peccator veriùs eſt, quàm prævaricator: quia legem, ſine qua non eſt prævaricatio, prorſus ignorat. Sub lege vivitur, cùm homini præceptum: Non concupiſces, innoteſcit; ſed victus infirmitate ſua legem etjam cognitam prævaricatur. Iſte non habet excuſationem de ignorantia, ſed pugnans propter infirmitatem vincitur: indiget enim gratia, qua adjutus concupiſcentias, quas per legem inſtructus malas eſſe jam novit, poſſit continentiæ robore ſuperare. *Procedit lex Dei*, inquit Auguſtinus, *& dicit: Non concupiſces. Ille homo, qui* Serm. 4. de verb. Apoſt. cap. 5. *putabat magnum bonum eſſe, magnamque felicitatem exiſtimabat, ea quæ poſcit, ſuæ concupiſcentiæ non negare, ſequi quæ trahit, audit: Non concupiſces, & cognoſcit eſſe peccatum. Deus dixit, homo audivit, Deo credidit, peccatum ſuum vidit, quod*

bonum

*bonum putabat, malum eſſe cognovit. Voluit frænare* A
*concupiſcentiam, non ire poſt eam, ſtrinxit, conatus*
*eſt, victus eſt. Qui fuit antea neſcius malorum ſuo-*
*rum, factus eſt doctus, & peius eſt victus: cœpit*
*eſſe non ſolum peccator, ſed etiam prævaricator.*
*Peccator enim & antea erat, ſed antequam legem au-*
*diret, peccatorem ſe eſſe neſciebat.* Et tamen pro-
pter illa ignorantiæ ſuæ peccata, in quibus ſe
peccatorem eſſe neſciebat, etjam damnandum
Ibid. c. 6. eſſe teſtatur: *Si damnandus erat peccator, quam*
*ſpem habet prævaricator?* Hîc agi de ignorantia
juris naturalis, evidentiſſimum eſt: naturali
quippe jure carnalium terrenarumque rerum
concupiſcentiæ, cum quibus naſcimur, pro-
hibentur. Nam illud præceptum, *Non concu-*
*piſces*, ex ſecundæ tabulæ præceptis unum eſt:
quod eſſe naturalis juris apud omnes in con-
feſſo eſt, & in ſua latitudine acceptum, ſicut
Auguſtinus imò Apoſtolus accipit, omnes
omninò facinorum atque flagitiorum cupidi- B
tates amputat, quibus jus naturæ violatur.
Eandem doctrinam & alibi ſæpè tradit. Nam
in libris ad Bonifacium de eadem illa concu-
piſcentia loquens, quâ peccata contra jus na-
turæ perpetrantur, cùm allegaſſet illud Apo-
Lib. 1. c. 9. ſtoli: *Sine lege peccatum mortuum eſt*; ſic expli-
cando ſubjungit: *Non intelligamus niſi, tanquam*
*non ſit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tan-*
*quam in neſcio quibus ignorantiæ tenebris ſit ſepul-*
*tum.* Et in libro octoginta trium quæſtionum:
Lib. 83. qq. q. 66. *Prima eſt actio ante legem, ſecunda ſub lege, tertia*
*ſub gratia, quarta in pace. Ante legem actio eſt*
*cùm peccatum ignoramus, & ſequimur carnales con-*
*cupiſcentias* &c. Et in libro de continentia;
c. 3. *Sunt autem qui legem Dei omninò neſcientes, malas*
*concupiſcentias nec in hoſtibus deputant, eiſque mi-*
*ſerabili cæcitate ſervientes, inſuper etiam ſe beatos*
*putant, ſatiando eas potius, quam domando. Qui*
*verò per legem cognoverunt eas, per legem enim co-*
*gnitio peccati; &, Concupiſcentiam, inquit, ne-* C
*ſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces; & earum*
*tamen oppugnatione vincuntur, ſub lege vivunt* &c.
Et in Enchiridio ad Laurentium, qui locus
unus eſt inſtar omnium reliquorum, quia de
81. Enchir reliquis mentionem facit: *Hoc nunc dicam, quod*
*quidem & in alijs opuſculorum meorum locis ſæpè*
*iam dixi. Duabus ex cauſis peccamus, aut non vi-*
*dendo quid facere debeamus, aut non faciendo quod*
*debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ig-*
*norantiæ malum eſt, hoc infirmitatis. Contra quæ*
*quidem pugnare nos convenit; ſed profectò vincimur,*
*niſi divinitus adiuvemur, ut non ſolum videamus quid*
*faciendum ſit, ſed etiam accedente ſanitate delectatio*
*iuſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes,*
*quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo,*
*ſcientes videnteſque peccamus; iam non ſolum pecca-*
*tores, quod eramus etiam cum per ignorantiam*
*peccabamus, verùm etiam legis prævaricatores,*
*cùm id non facimus, quod faciendum iam eſſe*
*novimus.* Et paulò inferiùs: *Quapropter ne pec-* D
*cemus ut regat, ille rogandus eſt, cui dicitur in*
*Pſalmo: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea;*
*ut illuminatio detrahat ignorantiam, ſalus infirmi-*
*tatem.* Vbi ſimiliter ignorantiam illam reſpi-
cit, qua concupiſcentias Decalogi lege prohi-
A bitas, ignoramus eſſe malas; & ideò nondum
agnita lege, quæ carnales cupiditates vetat,
peccatores quidem, non tamen prævaricatores
ſumus. Et in expoſitione quarundam propo-
ſitionum Epiſtolæ ad Romanos: *Quatuor iſtos* Lib. Exp. quarund. propoſ. ad Rom.
*gradus hominis diſtinguimus, ante legem, ſub lege,*
*ſub gratia, in pace. Ante legem ſequimur concupi-*
*ſcentias carnis* &c. *ante legem ergo non pugnamus, quia*
*non ſolum concupiſcimus & peccamus; ſed etiam ap-*
*probamus peccata.* Et in ſequentibus oſtendit,
antequam lex homini incipiat innoteſcere, pec-
cata latere hominem, ita videlicet ut illa ig-
noret eſſe peccata. Nam Apoſtoli locum: *Sine* Ibid.
*lege enim peccatum mortuum eſt*, ſic exponit, &
paſſim exponere ſolet: *Non quia non eſt, dixit:*
*mortuum eſt; ſed quia latet: quod in conſequentibus*
*manifeſtat, cùm dicit: ſed peccatum, ut appareat*
*peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem.*
*Bona eſt enim lex: ſed ſine gratia oſtendit tantum-*
B *modo peccata, non tollit.* Et adhuc idem agens
magiſque declarans: *quod autem ait: Ego au-*
*tem vivebam aliquando ſine lege, intelligendum eſt,*
*vivere mihi videbar, quia ante mandatum* (id eſt
ante cognitionem mandati) *latebat peccatum.*
*Et quod ait: Adveniente autem mandato, peccatum*
*revixit, ego autem mortuus ſum: intelligendum eſt,*
*peccatum apparere cœpit; ego autem mortuum me eſſe*
*cognovi.*

Ex quibus & alijs, quæ in iſtius rei decla-
rationem adduci poſſent, duo patent. Primum,
Auguſtinum hauſiſſe doctrinam illam de ig-
norantia, prævaricationem quidem, non ta-
men peccatum excuſante, ex Apoſtolo, qui
pluribus locis hoc manifeſtè docet. Hinc enim
illa frequens ejus inculcatio: *Peccatum non co-* Ad Rom.
*gnovi niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam,*
*niſi lex diceret: Non concupiſces.* Et ſuperiùs:
*Per legem cognitio peccati.* Et rurſum; *peccatum,*
*ut appareat peccatum* &c. Vnde ex iſtius Apo-
C ſtolicæ doctrinæ, locorumque variorum
conſonantiâ fluxerunt illa verba Auguſtini,
quæ ſuprà citavimus: *Vt illud, quod dixerat: ſine*
*lege enim peccatum mortuum eſt, non intelligamus,*
*niſi tanquam non ſit, latet, non apparet, penitus*
*ignoratur tanquam in neſcio quibus ignorantiæ tene-*
*bris ſit ſepultum.* Reum tamen eſſe peccati quam-
vis ignorati, Apoſtolus ibidem docet, dum
dicit: *Ego autem mortuus ſum.* Vnde ad id
quod dicit; *Ego autem vivebam aliquando ſine*
*lege*, Auguſtinus ita loquitur: *Quid ait, niſi*
*vivere mihi videbar? Et quod adiunxit: Adveniente au-*
*tem mandato, peccatum revixit; quid eſt aliud, quàm*
*eminuit, apparuit?* Vnde S. Fulgentius: *Ex quo*
*omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lu-*
*mine ſimul & virtute privata in tantum natura cæca*
*ſine lege peccat, ut peccare ſe neſciat. Propter quod*
*dicitur: Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret:*
*Non concupiſces.*

Alterum eſt, Auguſtinum, cùm toties do-
D cet, hominem peccare per ignorantiam, qua
non ſolùm ſe peccare non videt, ſed etjam vi-
dere non poteſt, de illa ignorantia loqui, qua
quis ignorat ea, quæ lege Decalogi, hoc eſt,
lege naturæ prohibentur. De illa quippe lege
Apoſtolus ſemper loquitur, & illa eſt, quæ
creſcente

creſcente vel ætate, vel eruditione, vel ſanctitate, hominibus etjam non Iudæis advenit & incipit innoteſcere, dum oculi paulatim magis magiſque aperiuntur, ut quod antè, vel malum eſſe neſciebat vel putabat eſſe bonum, jam malum eſſe cognoſcat, & ſe reum ſciat, quem antè putaverat eſſe innocentem. Vnde alicubi Auguſtinus clarius indicans ſe de hac

Serm. 43. de temp. c. 2. lege doctrinam iſtam intelligere: *Præſumebant homines de viribus ſuis, & faciendo quicquid ſibi licere arbitrabantur, peccabant in legem Dei occultam. Vnde iſta lex manifeſta promulgata eſt eis, qui omninò ſibi rei eſſe non videbantur. Lex præcurrit ante medicum, ut ſe ægrotus qui ſe ſanum putabat, inveniret* (id eſt, ſciret) *ægrotum, & dixit: Non concupiſces &c. Antea ſine lege peccabatur; datâ verò lege, cum prævaricatione peccatum eſt.* Vbi legem *occultam* non intelligit aliam, niſi legem naturæ, quam lex Moyſis manifeſta ex B occultis ignorantiæ latibulis extraxit, & hominibus ante oculos poſuit. Et quia lex iſta eſt, quâ id ſancitur quod naturaliter juſtum eſt, hinc illius ignorantiam ſubinde vocat

a Lib. 1. op. imp. ſ. 159. a *qua ignoratur juſtitia*: ſubinde, qua b *mala*, ſcilicet quæ in ſeipſis mala ſunt, *non putantur mala,*

b ibid ſ. 41. vel *etiam putantur bona*: aliquando c *boni appe-*

c ibid. ſ. 156. *tendi malique vitandi ignorantiam*: aliquando

d In Enchir. cap. 24. ignorantiam rerum agendarum: d *Nolentibus ſubintravit*, inquit, *ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum.* Et ſtatim vocat *perniciosa, vel mania*, quæ *errore non ſentit*:

Epiſt. 154. aliquando verò *qua putat bonum eſſe, quod malum eſt*; vel ut alibi loquitur, cùm *per ignorantiam*

Lib. 1. ad Boniſ. c. 13. *malum quaſi bonum placet.* His omnibus & ſimilibus phraſibus circumloquitur, non ignorantiam facti, non juris divini; ſed naturalis.

A Nam hujus ignorantia facit, ut aliquis concupiſcentias illas, cum quibus nati ſumus & adoleſcimus, quæque lege, *Non concupiſces*, prohibentur, non malas, ſed etjam bonas putet. Hæc eſt, quæ ante legem ſcriptam Decalogi, quam Moyſes tulit, non ſolum ſingulos homines, ſed univerſum genus humanum ſuis tenebris operuerat, cum nullum adhuc jus divinum de cælo ſonuiſſet. Hæc eſt, quæ lege, *Non* Rom. 7.

*concupiſces*, tollitur. Per iſtam quippe legem *cognoſcitur peccatum*, id eſt, concupiſcentia; per iſtam fit *cognitio peccati*; per iſtam *apparet peccatum*; ſine iſta lege *mortuum eſt peccatum*; iſto *mandato adveniente, peccatum reviviſcit*; propter iſtam denique legem jus naturæ propalantem apertiſſimè verum eſt, quod dicit Apoſtolus: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Hæc lex univerſum jus naturæ comprehendit, quo vetatur malum, & ex conſequen- B ti, quo jubetur bonum; neque enim adverſus jus naturæ, niſi aliqua libidine, ſeu concupiſcentiâ vitioſâ peccatur. Hujus igitur legis naturalis ignorantia, ſive ſit vincibilis, ut in gravioribus delictis præſertim quibus proximus læditur, contingere ſolet; ſive ſit invincibilis, ut in ijs forſan quæ magis à principijs diſtant concluſionibus naturalibus, & in variarum occurſu ſubito circumſtantiarum plerumque accidit, non excuſat à peccato delinquentes. Sed de his & ſimilibus delictis Auguſtini humilitas tremebat, quando propter ſubitas diverſaſque circumſtantias in diſcernendo illo naturæ jure perplexus exclamabat:

*Delicta quis intelligit?* Et Davidis pietas cum Epiſt. 55.

tota Eccleſia gemebat: *Delicta juventutis meæ,* Pſal. 24.

*& ignorantias meas ne memineris.*

# CAPVT SEXTVM.

## Indagatur radix arcanæ illius doctrinæ

CVR verò iſta juris naturalis invincibilis ignorantia magis culpabilem in peccando faciat, quàm ea, quæ legis divinæ poſitivæ vel facti dicitur, ex natura talis ignorantiæ, vel oppoſitæ ſcientiæ petendum videtur. Scientia quippe juris naturalis humanæ naturæ connaturalis eſt; juris divini poſitivi & factorum, nullo modo. Nam ex hoc ipſo quo natura humana rationis particeps eſt, & ad Deum creaturarum omnium maximeque rationalium ultimum finem ordinata, ut ipſo beata ſit, à quo habet ut ſit, neceſſe erat ei talem cognitionem naturaliter inſeri, qua cum ut naturalem finem ſuum poſſet agnoſcere, omniaque ſcire, quæ ad vitam cum tali honeſtate tranſigendam, qualis humanæ naturæ congruit, neceſſaria ſunt. Hæc autem ſcientiam totius naturalis legis poſtulat, utpote ſine qua nec ea poteſt appetere & facere, quę rationi naturaliter ſibi datę & ultimo fini congruunt, nec ea cavere quæ utriſq; capitaliter adverſantur. Lex enim naturalis univerſa

A omninò peccata vetat, quæ à rationali natura, & ejus naturali honeſtate diſſonant; & cuncta, aut ferè cuncta jubet, quæ ad finē ejus naturalem aſſequendum ſcitu neceſſaria ſunt. Et iſta cauſa eſt, cur totius iſtius naturalis legis cognitio accuratè primi hominis viſceribus beneficio creationis inſculpta fuerit, ex cujus reliquijs in imagine Dei adhuc poſt ruinam ejus illud lumen ſupereſt, quo nonnullas naturalis juſtitiæ & honeſtatis veritates probat, & ea, quæ illa lege jubentur aut vetantur, nonnunquam facit aut cavet. Non enim uſq; adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint. Hoc enim ſenſu verum eſſe poteſt, quod Apoſtolus dicit:

*Euiſmodi* homines *ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt* Rom. 2.

*opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*: hoc eſt, ut

Auguſtinus ait, *non omnimodo deletum eſt, quod* Lib. de Spir.

*ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum* & litt. c. 28

*eſt.* Hoc autem in ſcientia juris divini poſitivi & factorum non habet locum. Lex enim Dei

poſitiva

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſitiva ab ipſius libera voluntate pendet, quæ tot, ac tales leges, ac eo tempore, & loco, & occaſione ferre poteſt, quot abſconditæ ipſius providentiæ & conſilio viſum fuerit. Et idcirco ejus ſcientia neque humanæ neque Angelicæ naturæ connaturalis eſt: ſed ſicut ejus legis latio, ita & ejus revelatio à Dei libertate pendet. Facta verò quia ſingularia ſunt, ſine fine variari poſſunt; neque naturam rationalem eorum cognitio ita naturaliter perficit, ſicut veritatum illarum generalium practicarum, quæ jure naturæ continentur. Vnde nec in ſtatu innocentiæ factorum omnium & accidentium ſingularium primi homines cognitionem habuerunt, ut ex colloquio ſerpentis cum muliere, & mulieris cum marito, ſatis evidenter colligi poteſt.

Quapropter quia iſta juris divini, & factorum ſingularium ſcientia, non eſt homini connaturalis: neque naturaliter medullis ejus vi creationis inſita, ſicut veritatum illarum æternarum practicarum, in quibus jus ſeu lex naturæ conſtituta eſt; hinc etjam videtur fieri ut illorum ignorantia invincibilis non ſit vitioſa, & conſequenter neque peccatum deputandum id quod ex ea fit: quandoquidem & in illa primæ conditionis præſtantia ſine ullo peccato aut vitio præcedente, cujus pœna eſſet, contingere potuiſſet. Hujus verò ignorantia ita vitioſa eſt, ut, ſi Auguſtino jam ſuprà citato credimus, ſine peccato infligi nullo modo queat, niſi ipſa peccata quæ inde conſequuntur, etjam licita fore, hoc eſt, non eſſe peccata, & eorum auctorem Deum eſſe poſſe ſtatuamus. Perſpicuis enim verbis Auguſtinus dicit: *Si non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si autem bonus homo eſſet* (id eſt, niſi vitiatus eſſet) *aliter eſſet: nunc autem, quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate ut bonus ſit: ſive non videndo, qualis eſſe debeat* &c. Ad naturam enim hominis quodammodo pertinet iſtarum naturalium veritatum ad juſtitiam pertinentium notitia: & ideò tolli niſi per peccata non potuit: Deo non ſubtrahente quod naturali humanæ naturæ rectitudini & honeſtati congruit, niſi præcedente aliqua iniquitate provocetur.

*Lib. 3. de lib. arb. c. 18.*

Hinc eſt igitur, quòd cùm primi homines peccaſſent, etjam *nolentibus*, ut Auguſtinus, *ſubintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum, quibus comites ſubinferuntur error & dolor.* Vt enim meliores Adam gigneret, quàm ipſe eſſet, non erat æquitatis. Ex quo effectum eſt, ut vitio cum natura vitiata tranſeunte, cum ignorantiæ cæcitate & concupiſcentiæ difficultate naſceremur: ac primò quidem erraremus, neſcientes, quid nobis ſecundum illius naturalis juſtitiæ regulas eſſet faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate non valeremus. Quæ quidem ignorantia quamvis non in omnibus ſit æqualis, Deo per juſtum judicium ſuum diſcernente, quantum cuique ſupplicij inferri debet, qui homini infert pluſquam debet, imò nec totum quod debet; tanta tamen in quibuſdam eſt, ut exceptis illis generalibus juſtitiæ veritatibus, quarum cognitio omnibus non obſtante peccati magnitudine, divina clementia ſupplicium temperante, permiſſa eſt, pleraque quæ ab iſtis rationalis naturæ quaſi luminaribus aliquanto remotiùs diſſita ſunt, ſi nullum humanum præcedat magiſterium, velut naturâ cæci videre non poſſint. Miſerabilem iſtam naturæ noſtræ cæcitatem ſæpiſſimè Auguſtinus inculcat, utpotè tantam, ut nullo modo poſſit ſolâ natura duce ſuperari. Hinc illud: *Ignari & carni ſubditi naſcimur.* Et illud: *Peccante primo homine vitium pro natura inolevit; ſi vitium pro natura inolevit, ſecundum mentem omnis homo cæcus natus eſt. Si enim videt non opus habet ductore.* Et ideò non niſi *adiuvante creatore* docet nos poſſe, ſicut *à difficultate*, id eſt, à concupiſcentia *cruciante*, ita & *ab ignorantia cæcante liberari.*

*In Enchir. cap. 24.*

*Lib. 3. de lib. arb. c. …*

*Tract. … in Ioan.*

*Lib. 3. de lib. arb. c. …*

Quantumvis igitur hujuſmodi ignorantia propriè peccatum non ſit, quantumvis etjam humanæ poteſtati invincibilis ſit, cùm & ipſam fidem Chriſti, qua ſola vinci poteſt, multi juxta ſupra traditam Auguſtini doctrinam, invincibiliter & inculpabiliter neſciant, quia tamen pœna peccati eſt, quicquid ex illa cæcitate perperam fit, ſine peccato non fit. Nam ut disertis verbis de hac ipſe dicit Auguſtinus: *Illud quòd ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non poteſt, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo* (primo) *liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia.* Quod cùm ſimilitudine linguæ declaraſſet; cujus nomine non ſolum inſtrumentum oris, ſed & effectus ejus lingua latina vel græca appellatur: *Sic*, inquit, *non ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum: liberâ enim voluntate & ab ſciente committitur; ſed etiam illud, quod iam de huius ſupplicio conſequatur neceſſe eſt.*

*Ibid.*

Et ſanè ſi iſta peccata iſtius invincibilis ignorantiæ, cum qua infidelis quiſque naſcitur, vera peccata non ſunt, nulla ratio eſt, cur non pleraque eorum peccata, qui divino judicio excæcati ſunt, ab omni iniquitate purgemus. Nam etjam in illorum aliquibus, ita ad nonnullas regulas veritatis agnoſcendas omne lumen mentis extinctum eſt, ut quamvis & velint & conentur obnixiſſimè eas videre non poſſint. Nam in hoc ipſo cæcitas eorum ſita eſt: aliud eſt enim non videre veritatem; aliud cæcum eſſe: illud notat actus; hoc poteſtatis abſentiam. Nam ut optimè Auguſtinus de cæcitate mentis: *Cæcus, puto, quòd velit videre, ſed non poteſt: ſi autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.* Et contra Iulianum de his ignorantiæ peccatis diſputans, quæ quaſi neceſſaria Iulianus nulla eſſe contendebat: *Ad hoc tertium genus* (ſcilicet quod peccatum eſt, & pœna peccati) *pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis ſi peccatum non eſſet, iniuſtè argueretur* &c.

*De nat. grat. c. …*

*Lib. 1. op. imperf.*

Et cùm

Et cùm probaſſet eſſe pœnam, adijcit: *Quis porro volens cæcus eſt corde, cum velit nemo cæcus eſſe vel corpore?* A Hæc igitur cæcitas poſtquam ſemel peccatis præcedentibus inflicta fuerit, quamvis libertatis humanæ fuerit peccata perpetrare, quæ cæcitate plectantur, non tamen eâ plecti, multò minùs eam tollere, humanæ libertatis, aut nudæ voluntatis, ſed divinæ eſt poteſtatis. Hoc autem facit non quandocunque homini placet, ſed cùm ejus miſericordiæ viſum fuerit, in quibuſdam citò, in alijs ſerò, in pleriſque nunquam. Nam quod de Deo dixit Apoſtolus: *Cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat*; hoc procul dubio eodem modo & ratione dici poteſt, ſicut hoc Auguſtinus dixit: *Quem vult illuminat, & quem vult excæcat*: & immobiliter excæcatum permanere permittit. Impoſſibile verò eſt, ut qui cæcus eſt, non iterum iterumque cadat, & in tenebris ambulando tenebras magis & magis B augeat, dicente Auguſtino: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam dignè lux deſerat veritatis: quâ deſertus utique ſit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat; ut ideò tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Sed hæc ipſa gratiæ invocatio magnum eſt ejuſdem gratiæ beneficium, quod ille ſpirando tribuit, qui ubi vult ſpirat.

*Lib. 2. cont. Adverſ. legis & Prophet. cap. 8.*

*Lib. de nat. & grat. c. 22.*

Cùm ergò neceſſe ſit, ut qui divino judicio excæcatus eſt, *plus offendat, & cadendo vexetur*; cur non & ipſorum peccata propter cæcitatem antè vincibilem, jam invincibilem excuſemus, ſi ignorantia invincibilis illius naturalis juris excuſat? Vtraque enim quædam cæcitas eſt, utraque ſolâ humanâ poteſtate invincibilis, utraque divinâ gratiâ & poteſtate vincibilis. Nullæ quippè tam profundæ tenebræ ſunt cujuſcunque practicæ veritatis, quam infuſio cœleſtis lucis fugare non poſſit. Ex C eadem omninò cauſa utraque naſcitur: nam excæcationis cauſa non eſt alia, quàm profunda in res terrenas voluntatis immerſio, cujus cupiditatis viſcum vires hominis non poſſunt ſolvere. Hinc, Deo vindicante, lucis deſertio, hinc tenebræ, hinc cæcitas, prout ſexcentis Auguſtini locis facile eſt declarare. Omnis enim affectus libidinoſus quo eſt arctior, & conſuetudine firmior, eo tenebroſior eſt; cùm Deus *indefatigabili lege ſpargat pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Sed eadem omnino cauſa eſt & illius ignorantiæ, cum qua naſcimur, & educamur, quæ nos jus naturæ, hoc eſt, veritatem, ex qua creatura rationalis naturaliter vivere, & in moribus ſuis regi debet, videre non ſinit. Nam & illa non aliunde naſcitur, niſi quia in primis parentibus noſtris à Deo lumine averſi, Deoque nos deſerente, cum concupiſcentijs nati, & per multos annos carnalibus ſenſibus dediti, D & ſenſibilium rerum cupiditatibus innutriti ſumus. Concupiſcentia namque bonorum naturalium à nativitate inſita, & primis actibus ſtatim aucta, affectum rebus concupitis alligat, & hoc ipſo plùs minùſve mentis oculum cæcum facit. Vnde Auguſtinus: *Ad iram Dei pertinet juſtam, quicquid cæcâ & indomitâ concupiſcentiâ faciunt libenter mali.* Cæca eſt igitur & illa concupiſcentia, ex qua ſtatim ab infantia malum facimus libenter mali. Et in illud Pſalmi: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*; non videre Solem docet eſſe pœnam obſcurationis; ignem autem eſſe concupiſcentias carnis, iracundiæ &c. *Et iſta concupiſcentia carnis unde venit? Attendite. De traduce natus es cum eo quod vincas.* Cùm enim extra controverſiam ſit, peccatorum conſuetudinem, quia voluntatis affectum temporalibus rebus immergit, cæcum facere, quis dixerit tam profundam immerſionem in res ſenſibiles, qualem in parvulis videmus, ex innata rerum ſenſibilium cupiditate, non obſcurare mentem ad æternas veritatis regulas intelligendas? Nam hinc eſt, quòd Auguſtinus etiam concupiſcentiam, hoc eſt, omnium rerum temporalium cupiditatem, & graviſſimum illud pondus, cum quo naſcimur, carnalem conſuetudinem vocat; quia eoſdem quos conſuetudo, effectus parit: *Pars quædam ejus (animæ) reſiſtit ſpiritui, non naturâ, ſed conſuetudine peccatorum: quæ conſuetudo in naturam verſa eſt ſecundum generationem mortalem peccato primi hominis.* Vbi illam differentiam inter conſuetudinem actibus comparatam, & concupiſcentiam ingenitam ponit; quòd concupiſcentia ſit quædam conſuetudo generatione in naturam verſa; ubi conſuetudo è contrario eſt concupiſcentia actibus comparata. Et in libro octoginta trium quæſtionum explicans Apoſtoli locum: *Vbi eſt mors contentio tua?* ſic loquitur: *Mortem ſignificari arbitror hoc loco, carnalem conſuetudinem, quæ reſiſtit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum &c. Hanc autem mortem peccato meruimus*; & ſubjungit de libertate ab illa morte in paradiſo ante peccatum. Et apertiſſimè alibi vocat libidines, *conſuetudines, & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*: carnem autem concupiſcere adverſus ſpiritum *propter indomitam carnalem conſuetudinem; quod conſuetudinis vinculum*, inquit, *à parentum etiam propagine inveteratum naturæ lege inolevit.* Quid ergo mirum, ſi inſtar conſuetudinis obſcurat animam tanquam averſam à Deo, & ideo adhærente illi cæcitate puniatur? Ardentiſſimus quippe impetus non modò puerorum, ſed & infantium animulas, ad fruendum innocenter omnium ſenſuum delectationibus, quibus tunc reguntur, impellit. Et unde impetus ille, niſi ex illo pondere concupiſcendi, quo anima ex peccato in omnes voluptates prona curvatur? Nam quemadmodum irrationalis iracundia, qua fervent parvuli cùm tollitur id quo delectantur, ita & effrenis cupiditas oblectandi ſe, quam impediri moleſtè ferunt, ejuſdem ingeniti ponderis inclinationes ſunt, quo iſtud rotatur horologium. Vnde Auguſtinus: *Iſtis carnalibus*

*Lib. 1. Confeſſ. c. 18.*

*In Enchir. cap. 27.*

*In Pſal. 5*

*Lib. de Fide & Symbol.*

*Lib. 83 qq. q. 70.*

*Lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 24.*

*Lib. 83 qq. q. 64*

O quinque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quinque ſenſibus prima hominis ætas imbuitur, neceſſitate naturæ mortalis, qua ita poſt peccatum primi hominis nati ſumus, ut nondum redditâ luce mentis, carnalibus ſenſibus ſubditi, carnalem vitam ſine ulla veritatis intelligentia tranſeamus. Tales neceſſe eſt eſſe infantes & parvulos pueros, qui nondum poſſunt accipere rationem.* Quantâ verò intentione in iſta, quæ foris ſunt, ſenſibilia feratur anima etiam infantis, vel hinc ſolùm conijci poteſt, quòd lucis hujus hauriendæ ſic avida ſit, ut ſi quiſpiam minùs cautus, aut neſciens quid inde poſſit accidere, nocturnum lumen poſuerit ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi poſſint retorqueri, nec cervix poſſit inflecti, ſic ejus inde non removeatur aſpectus, ut nonnullos ex hoc etiam ſtrabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris & mollibus conſuetudo quodammodo infixit; quo exemplo Auguſtinus ad hoc probandum uſus eſt. Ita & in alios corporis ſenſus, quantum ſinit illa ætas, intentione ſe quaſi coarctant animæ parvulorum, ut quicquid per carnem offendit aut allicit, hoc ſolum abhorreant vehementer aut appetant, ut diverſis locis Auguſtinus notat. Hoc pondus innocenter in parvulis ad ſenſuum objecta fertur, quia ætas illa ratione ductrice deſtituta innocenter illis fruitur: ſed cum adoleſcentibus adoleſcit, quia fruendo ſæpiùs, augeſcit magis & magis. Hoc enim ipſum pondus eſt, ex quo omnia peccata majorum pullulant, & hoc ipſo, quo jam per ætatem ratio accenſa eiſdem delectationibus non repugnando frui pergit, jam peccata deputantur: quemadmodum ſuo loco fusè & ex profeſſo ex Auguſtini principijs oſtenſuri ſumus. Hoc ergo ingenitum pondus in ſenſibilia, iſte effrenatus impetus, iſta, inquam, concupiſcentia rerum terrenarum, cum qua nati ſumus, & adoleſcimus, quæ in objecta unicuique ætati & ſtatui & occaſioni congrua erumpit, eſt illa, quæ animam in terrenas delectationes inſtar conſuetudinis acquiſitæ proniſſimam, & idcircò etiam ad intelligibiles regulas veritatis penetrandas hebetem & ignaram facit, ſimulatque rationis uſus illuxerit.

*Tract. 15. in Ioan. & lib. 14. de Trinit. c. 5.*

Cùm igitur utriuſque cæcitatis, & illius, quæ ex peccato primo nobis ingenita ſtatim cum emicantis luce rationis apparet, & illius, qua propter gravia peccata nonnullos, Dei luce deſerente, excæcatos dicimus, eadem cauſa ſit, utraque ſolâ hominis poteſtate invincibilis ſit, gratiâque, quæ non ſemper nec omnibus datur, vincibilis; ſi illam invincibilem à peccato excuſare ſtatuamus, nulla ratio videtur eſſe, cur non & excæcationem, cùm humana voluntate contracta, humanâ voluntate non ſit amplius vincibilis, excuſare dicamus. Quod cùm omnes facilè judicent nefas eſſe hoc de excæcatione ſentire; non debet cuiquam nimis incredibile videri, ſi nec ignorantiam invincibilē juris naturæ à peccato excuſare Auguſtinus doceat. Nullum enim Auguſtinus in duabus iſtis ignorantijs ſeu cæcitatibus, quantùm ad peccati excuſationem, diſcrimen agnoſcit. Nam quemadmodum ad peccatum ſufficere docet, quòd ignorantia illa pœna peccati ſit, ita etiam quòd excæcatio. *Quod ſi diceret*, inquit Auguſtinus, *quid ergò peccaverunt Iudæi, ſi Deus illos excæcavit, ne agnoſcerent Chriſtum? Quantum poſſemus imbuendo rudi homini oſtenderemus, ex alijs occultis peccatis Deo cognitis venire juſtam pœnam huius cæcitatis.* Ecce peccata ſunt peccata cæcitatis, quia cæcitas juſta pœna eſt præcedentium peccatorum. Et alibi, cùm tractaret illum locum; *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum* &c. luculentiùs idem docet: *Quod ſi ita eſt*, inquit, *quis non exurgat in defenſionem Iudæorum; ut eos extra culpam fuiſſe proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum. Sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, alijs quibuſdam peccatis ita eos excæcari meruiſſe; qua tamen excæcatione non potuerunt credere.* Nihil apertiùs dici potuit. Nam & credendi, hoc eſt, videndi impotentiam in excæcatis, & verum tamen peccatum agnoſcit: quia impotentia; velut juſta peccatis præcedentibus pœna, retributa eſt. Hoc autem eſt ipſiſſimum, quod de ignorantia invincibili toties docuit. Hîc autem ad ſufficientem gratiam recurrere, quæ excæcatis quoque ſemper præſto ſit, ut poſſint cæcitate liberari, & videre ſi velint, paradoxum eſt in Auguſtini doctrina non ſolum inauditum, ſed quo univerſa ejus principia de gratia jugulantur: ut ſuo loco demonſtrabitur.

*Lib. 13. Fauſt.*

*In quæſt. Matth.*

DE

# DE CONCVPISCENTIA.

## CAPVT SEPTIMVM.

### Nomina concupiſcentiæ : qui motus ejus , & eorum objecta.

A ALTERA pœna , qua peccatum primi parentis noſtri punitum fuit, & univerſum humanum genus atteritur , eſt illa , quam Scripturæ ſacræ concupiſcentiam vocare ſolent. Vnde Apoſtolus ad Romanos: *Vt* a *obediatis concupiſcentijs eius*. Et : b *concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret : Non concupiſces*. Et Iacobus: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus , & illectus : concupiſcentia vero cum conceperit , parit peccatum*. Et alijs plurimis locis. Auctores verò ſeculares Latini , ut Tullius, eam *libidinem* appellant : unde libro tertio de Republica dicitur ab eo *animus pronus ad libidinem ; &, Ratio imperare libidini :* Græci verò, maximè Platonici , *voluptatem*. Vnde Plato dicebat *voluptates* , id eſt , libidines *eſſe illecebras atque eſcas malorum*. Et hinc eſt , quòd Platonicorum imitatione etiam Cicero eam B ſæpiùs voluptatem nuncupet , ut videre licet paſſim in Tuſculanis , & in Hortenſij fragmentis , quæ citantur ab Auguſtino. Ex ſæcularium igitur Scriptorum imitatione ſexcenties Auguſtinus concupiſcentias vocat *libidines* , & nonnunquam *delectationes :* ut , *Delectatione morbida vincitur* , & alibi aliquoties: ſæpè verò *voluptates* , quo nomine peculiariter Iulianus paſſim utebatur. Vnde quærit ex Auguſtino , utrum in conjugibus Chriſtianis *conventuum voluptatem pudicitiam an impudicitiam nominet ?* quod Auguſtinus tanquam de libidine dictum accipit. Et libro ſecundo de nuptijs : a *Voluptas ergo iſta , quam tu diabolicam vis videri &c.* Et alibi : b *De coniugum voluptate generatur*. Vnde & Ambroſius apud Auguſtinum : *Rediviræ reſurgunt voluptates* : quod apertum eſt de libidinibus eſſe dictum. Et in libro de paradiſo : *Voluptas & delectatio benè ſapiens dicitur , quia & carnis appellatur ſapientia:* quod Auguſtinus ſtatim exponit eſſe dictum C de lege repugnante in membris noſtris : *Hæc eſt* , inquit, *voluptas illa ſuſcepta tua* , id eſt, libido, ſeu concupiſcentia , *quamvis & tu reprehendas eius exceſſum*.

a Rom. 6. b Rom. 7. Iacobi 1. Lib. 4. cont. Iul. c. 14. In Enchyr. cap. 24. Lib. 4 cont. Iul. cap. 8. a Lib. 2. de nupt. c. 9. b Lib. 6. cont Iul. c. 24. Lib. 2. cont. Iul. c. 5. ex lib. de philoſophia.

Porrò concupiſcentia iſta , ſeu libido , ſeu cupiditas , ſeu voluptas , ſeu delectatio , quocunque ex iſtis nominibus appellare malis, non eſt aliud , quàm pondus quoddam habituale , quo anima inclinatur ad fruendum creaturis , ſeu ut Auguſtinus loquitur , *rebus inferioribus*. Pondus eam Auguſtinus vocat, cùm de concupiſcentia loquens dicit : *Nonne hinc apparet , in quod velut pondere ſuo proclivis & A prona ſit vitioſa natura ?* Nam ſive concupiſcentia ſit appetitus ipſe ſenſitivus ac voluntas, quatenus gratiâ ſublevante & refrenante deſtituta ſuapte quaſi gravitate ac pondere in res creatas appetendas prona ſunt, ut multi volunt; ſive ſit aliquid potētijs ſuperadditum, ut magis Auguſtinus indicare videtur , habet ſe inſtar conſuetudinis pertinaciſſimè propellentis ad fruendum voluptatibus. Ex quo fit, ut illam Auguſtinus non ſemel naturalem conſuetudinem vocet , & conſuetudine actuum augeri, roborari, & pœnè invictam fieri fateatur. Nam locum illum tractans : *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum , & ſpiritus adverſus carnem :* Dictum eſt hoc , inquit , *propter indomitam carnalem conſuetudinem , adverſus quam ſpiritus concupiſcit, non ut interimat corpus , ſed ut concupiſcentiam eius, id eſt , conſuetudinem male domitam faciat ſpiritui ſubiugatam , quod naturalis ordo deſiderat*. Et pau- B lo poſt : *Etiam in hac vita meditandum eſt , ut conſuetudo carnalis mutetur in melius , nec inordinatis motibus reſiſtat ſpiritui*. Et oſtendens illam pugnam non oriri ex odio ſpiritus in carnem, vel carnis in ſpiritum : *Non per odium* , inquit, *reſiſtente ſpiritu, ſed per principatum : quia magis quod diligit, vult ſubditum eſſe meliori ; nec per odium reſiſtente carne , ſed per conſuetudinis vinculum , quod à parentum etiam propagine inveteratum , naturæ lege inoleuit*. Et rurſum finem ſpiritus in iſta coërcitione carnis exponens : *Id ergo agit ſpiritus in domanda carne , ut ſolvat malè conſuetudinis quaſi pacta perverſa , & fiat pax conſuetudinis bonæ*. En in Epiſtolam ad Galatas : *Quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum , nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis , quia mortaliter nati ſumus , & propriæ vitæ noſtræ , cùm & nos ipſi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationiſque trahebamus*. Et in libro de Fide & Symbolo : *Pars eius ( animæ ) quædam* C *reſiſtit ſpiritui, non naturâ, ſed conſuetudine peccatorum. Vnde dicitur : Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ conſuetudo in naturam verſa eſt ſecundum generationem mortalem peccato primi hominis*. Ex quibus locis apertiſſimum eſt, Auguſtinum etiam illam innatam concupiſcentiam vocare conſuetudinem, ſed naturæ inolitam, quæ ex Adamo in proles propagata fuit. Quid ergo mirum , ſi illam actuum noſtrorum malorum conſuetudo augeat, bonorum imminuat? Quod luculentè declarat, Sermone quadrageſimo quinto de tempore : *Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitijs , hoc de omnibus cupiditatibus intelligas. Cum aliquibus*

Lib. 1. de doctrina Chriſt. c. 24. Lib. 22. de Civit. c. 22. Galat. 5. Lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 24. Ibid. Ibid. In c. 5. Cap. 10. Cap. 5.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*enim nati ſumus; aliquas conſuetudine fecimus &c. Conſuetudini ergo ſemper repugnandum eſt, quia ipſa concupiſcentia, cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quamdiu vivimus. Quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.* Eodem loco habet conſuetudinem & concupiſcentiam, eodem modo paulatim minui. Scire libet, quomodo & augeatur? *Peccatum* (id eſt concupiſcentia) *unde in carne, niſi ex traduce mortalitatis, & aſſiduitate voluptatis?* (id eſt conſuetudine) *illud eſt ex pœna originalis peccati, hoc eſt pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam naſcimur; hoc vivendo addimus. Quæ duo, ſcilicet natura, & conſuetudo coniuncta robuſtiſſimam faciunt & invictiſſimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne.*

Lib. 1. ad Simplician. q. 1.

Ex hac ergo concupiſcentiæ innatæ & conſuetudinis actibus acquiſitæ ſimilitudine vel identitate, fit, ut utriuſque etjam primam originem ſimilem omnino ſtatuat, & unam per alteram explicet. Nam cum Fortunato Manichæo explicare conaretur, qua ratione factum ſit, ut homo primus antea liberrimus nulla in malum cupiditate titillante pelleretur; nos autem in peccata quaſi quadam neceſſitate præcipitemur, ad peccatum illud primum recurrit, quod libera voluntate commiſſum eſt, & concupiſcentia inſtar conſuetudinis conſequente punitum: *Poteſt autem*, inquit, *unuſquiſque noſtrum mediocri conſideratione invenire verum eſſe quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cùm autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animam pernicioſa dulcedo & voluptas, eâdem ipſâ conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt.* Quod continuo exemplis illuſtrat, & rem inferens ipſam, cujus declarandæ cauſa conſuetudinem actibus acquiſitam accerſerat: *Et hoc eſt*, inquit, *quod adverſus animam pugnat, conſuetudo facta in carne: ipſa eſt nimirum carnis prudentia.* Et paulo pòſt: *De iſta conſuetudine animæ facta cum carne Apoſtolus dicit: Sicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi &c.* Et rurſum: *Quamdiu ergo portamus imaginem hominis terreni, id eſt, quamdiu ſecundum carnem vivimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus neceſſitatem conſuetudinis noſtræ;* quam ſtatim exponit eſſe legem peccati & mortis. Vbi vides luculentiſſimè declaratum, tanquam rem uniuſcujuſque mediocri conſideratione penetrabilem, quo pacto ex libertate peccandi, qua primus homo præcelluit, in nobis neceſſitas quædam facta ſit: nempe propter conſuetudinem generatione propagatam. De quo non minùs evidenter alibi, cum præ manibus haberet locum illum Apoſtoli: *Abſorpta eſt mors in victoriam; ubi eſt mors contentio tua?* ſic mortem illam explicat: *Mortem ſignificari arbitror hoc loco carnalem conſuetudinem, quæ reſiſtit bonæ voluntati, delectatione bonorum temporalium fruendorum.* De qua contentione & illud explicat: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum &c.* Et originem illius mortis, hoc eſt, carnalis conſuetudinis nobis aperiens, non ex actibus noſtris eſſe natam, ſed peccati propagatione traductam: *Hanc autem mortem peccato meruimus: quod peccatum erat antè omni modo in libero arbitrio, cùm in paradiſo nullus dolor denegata delectatione voluntati bonæ hominis reſiſtebat, ſicuti nunc.* Quomodo ergo facta eſt ex illa tanta Adami libertate in nobis poſteris ejus proclivitas in peccatum? Audi Auguſtinum: *Verbi gratia, ſi quiſquam exiſtat, quem nunquam delectavit venatio, omni modo liber eſt, utrum venari velit, an nolit, nec eum cruciat quiſquis hoc prohibet. At ſi iſta libertate malè uſus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim ſubrepens delectatio mortificat animam, ut ſi abſtinere velit, abſque moleſtia & ſine angore non poſſit; cùm id antè tota ſanitate non ageret.*

Lib. 83. qq. q. 70.

Ibid.

Ex his patet, quàm rectè ſuprà dixerimus, concupiſcentiam, quam Auguſtinus *veſtigium peccati* vocat, eſſe inſtar conſuetudinis, quæ veluti ſimilitudo quædam primæ voluntatis in anima carnem informante relicta fuit: quo veluti pondere deorſum premebatur, & in naturam verſa in poſteros ejus propagata fuit. Nam, ut ipſe docet, conſuetudo hujuſmodi fit in quadam inferiori parte voluntatis, quam ipſe vocat, *partem animalem, appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur; partem, quæ debet obtemperare rationi, tanquam rectori viro; partem quæ carnalibus gaudijs tenetur;* quam alibi vocat, partem *ubi eſt morbidus quidam carnis, id eſt hominis, affectus.* Et iſta quidem de concupiſcentia dicta ſint, quatenus pondus inſtar conſuetudinis eſſe, juxta Auguſtinum aſſerueram. Nunc de motibus, in quos inceſſanter inclinat.

Motus iſti non ſunt aliud, niſi quædam *inclinationes, impetus, concupiſcentiæ, appetentiæ, appetitus, cupiditates, amores*, ac *deſideria*; quibus omnibus nominibus, & alijs pluribus eos Auguſtinus vocare ſolet; nonnunquam etjam *delectationes*, prout delectatio Platonico more pro actibus concupiſcendi delectationem ſumitur. Nam ſicut concupiſcentia ſæpè pro illo habituali pondere, ſæpè etjam pro ejus actuali motu ſumitur; ita & delectatio, ut ſuprà dictum. Vnde illud Auguſtini: *Carnalis conſuetudo reſiſtit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum*, id eſt, cupiditate, ſeu appetitione. Quod ex alijs multis locis eſſet facilè oſtendere, ſi res requireret.

Lib. 83. qq. q. 70.

Major difficultas eſt in oſtendendo, quod ſit objectum iſtorum motuum. Sed breviter dicimus, objectum eorum eſſe quicquid non eſt Deus, qui creaturæ rationali verum & unicum bonum eſt: hoc eſt, quamlibet creaturam. Omnis enim creatura vitioſè amari poteſt, & ex illo amore naſcitur cupiditas, qua in eundem amorem iterandum animus poſtea etjam invitus urgetur. Pars enim iſta inferior animæ omnium omninò malarum conſuetudinum capax eſt. Ex quo fit, ut quamcunque creaturam anima vitioſè adamaverit, ad actum iterum partâ conſuetudine ſtimuletur; cum ſenſibilis cujuſdam perturbationis motu. Vnde propter illius amoris, ſeu rei amatæ diverſas affectiones atque mutationes, diverſis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

diverſis quoque perturbatur modis, gaudet, dolet, ſperat, deſperat, metuit, iraſcitur, hoc eſt, illis motibus etiam invitus proritatur, idq; tam ſenſibilibus paſſionibus, quàm eis, quibus ex cujuſcunque alterius adamatæ rei mutatione quatitur. Hoc autem an idcirco contingat, quòd in quocunq; ſive bonæ ſive malæ voluntatis motu appetitus inferior velut pediſſequus dominam ſuam ſequitur, & erga phantaſma ſuum velut idôlum, cum quo ludere ſolet, inſtar ſimiæ ſimiles amplexus imitatur; an verò, ut magis Auguſtino videtur conſonare, quòd ipſe apex ſupremæ voluntatis, cujus eſt diſſentire ac conſentire, non eſt capax conſuetudinum, quæ actibus comparantur: ſed eſt aliquid voluntate inferius, quod hujuſmodi affectus & impreſſiones ex ejus impetu ſuſcipit, nihil ad præſens negotium facit. Sufficit hîc motuum concupiſcentiæ objectum eſſe quamlibet creaturam, in quam carnaliter exardeſcere etiam contra propoſitum hominis poteſt & ſolet. Carnaliter dico Apoſtolicâ phraſi, qua dicitur: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*: Non quòd ita lucta cum concupiſcentiæ motibus ſolâ carne peragatur, cùm ſtatim Apoſtolus, *hæreſes, invidias, æmulationes*, & peculiariter *animoſitates*, quæ clariſſimè ad animum pertinent, carnis concupiſcentias nominet: ſed quia, ut Auguſtinus Apoſtolum explicans, & ejus phraſim plerumque imitans dicit: *Anima, cum carnalia bona appetit, caro nominatur*. Et paulo poſt: *Anima propter carnales affectiones caro nominatur*. Carnalia verò bona Scripturæ phraſi ſunt bona creata, ſive ſecundùm animam, ſive ſecundùm corpus, ſive ſecundùm utramque partem hominis appetantur. Et carnales affectiones ſunt, quibus in bona creata ferimur, nullâ habitâ ratione creatoris. Vnde Auguſtinus diverſis locis notat, carnem, cùm dicit Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*; & cùm *opera carnis* nominat, *eo locutionis modo quo totum ſignificatur à parte, ipſum hominem nomine partis intelligere*. Eademque de cauſa tradit, non ſolùm Epicureos, qui ſummum hominis bonum in corporis voluptate poſuerunt, ſed & Stoicos, qui in animo, *ſecundùm carnem vivere*; ſicut Scriptura divina loqui ſolet. Nam *deſerto creatore bono vivere ſecundùm creatum bonum, non eſt bonum, ſive quiſque ſecundùm carnem, ſive ſecundùm animam, ſive ſecundùm totum hominem, qui conſtat ex anima & carne, eligat vivere*. Itaque & anima poteſt *carnaliter* appeti, & caro *carnaliter* fugi; quando id fit *vanitate humanâ, non veritate divinâ*, ut ibidem docet. Itaque rurſum in libro de continentia: *Cupiditas*, quam ante libidinem vocaverat, *in vitio ponitur, nec tantùm eſt corporis, verùm & animi. Etenim ſi cupiditas corporis eſt in fornicationibus & ebrietatibus; numquid inimicitiæ, contentiones, æmulationes, poſtremò animoſitas in corporis voluptatibus, ac non potiùs in animi motibus & perturbationibus exercentur? Carnis tamen opera hæc omnia nuncupavit Apoſtolus, ſive quæ ad animum, ſive quæ ad carnem propriè pertinent, ipſum ſcilicet hominem nomine carnis appellans. Opera quippe hominis ſunt, quæ non dicuntur Dei, quoniam homo qui hæc agit ſecundùm ſeipſum vivit, non ſecundùm Deum, in quantum hæc agit*. Vbi quod Auguſtinus dicit, cupiditatem non eſſe tantum *corporis*, ſed & *animi*; & quod antè dixerat, *ipſas carnis aut animi libidines contineri*, nullo modo vult definire, utrum libidines ſint in ipſa voluntate, an in appetitu ſenſitivo, ſeu in aliqua parte voluntatis inferiore: ſed per animum id totum accipit, quod non eſt propriè caro. Quod ex libris de Civitate Dei compertiſſimum eſt. Nam idem agens dicit: *Sibi ipſe*, (homo) *id eſt, voluntati ejus animus, eoque inferior caro ejus non obtemperat. Ipſo namque invito & animus plerumque turbatur*, (ſcilicet paſſionibus) *& caro dolet, & veteraſcit, & moritur*. Et mox diſtinguit *dolorem carnis* à *dolore animæ*, ſeu triſtitia. Et *metum* in anima eſſe dicit, non in carne, ſicut & *iram*, ſimileſque paſſiones, quas in appetitu ſenſitivo eſſe conſtat.

Galat. 5.

Lib. de Fide & Sym. c. 10

Ibid.

Lib. 14. de Civit. c. 2.

Ibid. c. 5.

Lib. de Continent. c. 13.

Cap. 12.

Hinc eſt igitur, quod Auguſtinus generalis iſtius concupiſcentiæ motus explicans, hanc latitudinem objecti eis tribuere ſolet. Nam ſubinde objectum illud vocat *bona temporalia*; ut cùm dicit: *carnalis conſuetudo reſiſtit voluntati bonæ, delectatione bonorum temporalium fugiendorum*. Et alibi: *Adjutorium ad vincendas temporalium rerum cupiditates*: quibus æterna bona ſtatim opponit. Subinde *inferiora*, ut cùm dicit: *Libidines & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*. Inferiora verò ſunt Auguſtino, quæcunque ſunt infra ſpiritum rationalem. (Solet enim ipſe ſummum vocare Deum, medium animam, infimum corpora,) vel etiam quæcunque ſunt infra Deum, ut cùm dicit: *Inferioribus non offendamur; ſolis autem ſuperioribus delectemur*. Aliquando verò *carnalia*, & *temporalia*; ut cùm dicit: *Aliquando tardius ejus* (animæ) *impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrenatur*. Sed ſive *temporalia* concupiſcentiarum objecta nominet, ſive *inferiora*, ſive *carnalia*, ſive etiam *ſæcularia*, idem per hæc omnia ſignificatur: ita latè quippe ſumuntur illa, ut comprehendat eorum appetitus ſeu libido, omnia illa vitia, quæ deſcribit Apoſtolus, cùm *opera carnis* quæ concupiſcit adverſus ſpiritum, eſſe dixit præter aperta carnis vitia, etiam illa, quibus animi vitia demonſtrantur à voluptate carnis aliena. Quis enim ſervitutem quæ Idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidias non potiùs intelligat animi vitia eſſe, quàm carnis, prout caro pro illa notiſſima hominis parte uſurpatur? *Quandoquidem*, ut Auguſtinus ait, *fieri poteſt, ut propter idololatriam, vel hæreſis alicujus errorem à voluptatibus carnis temperetur*. Hinc alibi generaliùs eandem concupiſcentiam & objectum ejus exprimit, dum eam vocat, *amorem fruendi quibuſcunque creaturis*. Et alio in loco ei opponit charitatem; quam notum eſt eſſe amorem Dei propter Deum.

Lib. 83. qq. q. 70.

Lib. 1. de Doct. Chriſt c. 24.

Lib. 6. Muſicæ c. 11.

Lib. de Fide & Sym c. 10

Lib. 14 de Civit. c. 2.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

Lib. de grat. Chriſti c. 20.

Porrò cùm conſtet, hujus concupiſcentiæ motus eſſe appetitus quoſdam, ſeu deſideria indeliberata, ſicut illis nominibus ſexcenties eos Auguſtinus vocat, deſiderium verò ad poſſeſſionem rei deſideratæ naturaliter tendat, hinc

hinc liquet, concupiſcentiæ motus ſemper ad fruitionem tendere. Fruitio quippe eſt boni quod deſideravimus jam obtenti, ut cum quadam voluptate percipiatur. Iſtum concupiſcentiæ ſcopum ſeu finem ſæpiſſimè Auguſtinus inſinuat: ut cùm paulò antè appellavit libidines *inclinationes ad fruendum inferioribus*: & cùm toties tradit, voluptatibus inhiare concupiſcentiam: *Vitium*, inquit, *indicaſti eſſe corporalis appetentiam voluptatis. Vitium eſt igitur libido, quam laudas*; quam alibi vocat vel *carnalis concupiſcentiam voluptatis*, vel alijs nominibus idem indicantibus. Voluptatem enim concupiſcere, eſt voluptate velle frui. Concupiſcentia quippe tanquam irrationalis & ad ſimplicem apprehenſionem rerum nata ſequi, non ad uſum rerum, ſed ad fruitionem tantùm inhiat. Vſus enim eſt rationis, quæ unum ad alterum referre novit & ſolet. Et hinc fit, ut bruta per concupiſcentias libidinibus humanis ſimiles, tantùm ad fruendum, non ad utendum impellantur: ut etjam ſanctus Thomas tradit. Quamobrem & ipſis concupiſcentijs ad aliquid aliud uti, non eſt concupiſcentiæ, ſed rationis, optimè & ſubtiliter nonnemine pronuntiante: *Libidine non bene utitur libido, ſed ratio.*

*Lib. 1. oper. imperf. f. 77.*
*Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.*

# CAPVT OCTAVVM.

## Concupiſcentiæ diviſio in concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ: ex quibus omnia flagitia fluunt, & facinora.

PORRO iſtud libidinis malum multifariam dividitur. Nam quamvis ad appetitivam dumtaxat potentiam pertineat, utpotè deſiderium fruendi creaturis; mediantibus tamen alijs potentijs plerumque id obtinetur, cui concupiſcentia inhiat ut fruatur: & juxta potentiarum iſtarum diverſitatem, quæ diverſa reſpiciunt bona, etjam diverſæ libidines oriuntur: ſed omnes ad tria capita generalia revocari poſſunt, *libidinem ſentiendi, libidinem ſciendi, & libidinem excellendi.* Libido ſentiendi in alios quinque ramos funditur. Nam quemadmodum Deus quinque ſenſibus externis humanum corpus inſtruxit, ita quoque quinque libidines per peccatum ortæ ſunt, quibus ad ſingulorum ſenſuum fruenda bona appetitus ille accenditur. In omnibus quippe ſenſibus iſtis diſtinguendus eſt ipſe vigor, ſeu vivacitas ſentiendi, quâ unus majore quàm alius pollet, non ſolùm à neceſſitate ſentiendi, qua ſubinde cogitur exteriùs ſentire quod non vult, vel ab utilitate ſentiendi, ſed etjam à libidine ſentiendi; vivacitas enim ſeu vigor acriùs obtuſiùſque ſentiendi à Deo data eſt, quando corpus hominis condidit: neceſſitas ſentiendi ab objectis in ſenſus irruentibus, à quibus averti non poſſunt, oritur; ut cùm apertis oculis, auribus, naribus, ore, videre, audire, olfacere, guſtare cogimur, aut frigora, calores, doloreſque etjam nolentes pati. Vtilitas ſentiendi eſt, per quam corpori aut vitæ noſtræ aliquid ſentiendo conſulimus: ut cum cibum ad corporis ſalutem ſumimus, oculos ad legendum, aures ad audiendum ea, quæ utilia ſunt, adhibemus. Sed ab his omnibus libido ſentiendi longè diverſa eſt. Hæc eſt enim quædam animi titillatio, & proritatio, *quæ*, juxta Auguſtini deſcriptionem, *nos ad ſentiendum ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Hæc in animo quidem reſidet, ſed per omnes ſenſus emicat, & ſatiari cupit. Per oculos quidem, cùm provocatur animus, ut res delectabiles, prata virentia, flores pulchros, aliáque innumerabilia, quibus mulceatur, videat: per aures, cùm ſonos concinnos, ut muſicam delectabilem audiendi libido deſiderat; per nares, cùm odoribus gratis olfaciendis animus inhiat: per guſtum, cùm etjam ſaturum amor edendi bibendive ſollicitat: per tactum, cùm animus etjam caſtus illa fœda libidine ſtimulatur: quamvis non ſolis genitalibus membris, ſed & alijs tangendi libido compleatur, prout diverſa objecta quæ tactui grata ſunt, nullâ neceſſitate vel humani corporis vitæque utilitate, ſed ſolâ tactus oblectandi libidine appeti poſſunt. Hoc igitur generale malum omnes externos ſenſus ſuæ ſervituti vendicare conatur, & in omnibus flagitijs, quæ delectatione quadam carnem afficiunt, dominatur. Voluptas enim in quam inhiat, ſentiendo percipitur; & quia in ipſa carne cui ſenſus infixi ſunt, illorum delectatio percipitur, hinc voluptas carnis propriè dicta eſt; & concupiſcentia ſeu libido, quæ ad fruendum per viſum, auditum, guſtum, olfactum, tactum, illâ voluptate incitat, concupiſcentia carnis ab Apoſtolo nuncupatur.

*Lib. 4. cont. Iul. cap. 14.*

Verùm non ſoli ſenſus externi, ſed & ipſius animi nobiliſſimæ facultates libidinis malo ſeruiunt. Cùm enim ſcire ſeu ſcientia non ſit exiguum creaturæ rationalis bonum, nec mediocriter eam delectare ſoleat, etiam in illius fruitionem ex peccato primi hominis libido quædam immanis exarſit. Nam etiam in iſto genere ſimili planè modo naturalis vivacitas aliquid percipiendi ſeu cognoſcendi, à neceſſitate, & ab utilitate, & à cupiditate, ſeu libidine ſciendi ſeparanda eſt. Nam vivacitas cognoſcendi, quâ quidam acerrimâ naturaliter præditi ſunt, & neceſſitas ſciendi, quâ nonnulla vera velimus, nolimus nobis nota ſunt, &

utilitas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

utilitas ſciendi, quâ quædam propter hujus vel futuræ vitæ uſus laudabiliter ſcire volumus, culpâ carent: ſed libido ſciendi omnino vitioſa eſt. Eſt enim cupiditas quædam, quâ provocatur ac titillatur animus tantummodo ut ſciat; & quando illi conſentitur, naſcitur illud vitium, quod curioſitas dicitur. Latiſſimè verò hæc libido per univerſam humanam vitam patet. Non enim per intellectum tantùm, ſed per univerſos omnino ſenſus externos, ut illam cui inhiat, noſcendi voluptatem aſſequatur, erumpit. Diſtinguenda eſt enim in externis etiam ſenſibus voluptas, quæ ſentiendo percipitur, à notitia, quam per eaſdem feneſtras animus percipit. Ineſt enim animæ per eoſdem ſenſus corporis quædam non ſe oblectandi in carne, ſed experiendi per carnem vana & curioſa cupiditas nomine cognitionis & ſcientiæ palliata. Ex hoc autem evidentiùs diſcernitur, quid voluptatis, quid curioſitatis causâ agatur per ſenſus, quòd voluptas carnis pulchra, canora, ſuavia, ſapida, lenia ſectatur: curioſitas autem etjam his contraria tentandi causâ, non ad ſubeundam moleſtiam, ſed ad experiendi noſcendique libidinem. Hæc enim impellit homines, ut ad ſpectandum laniatum cadaver affluant: ut abſonas quaſdam cantiones & abſurdas audiant; ut ſapores odoreſque miros quamvis ingratos percipiant: nec tamen in ſolis ijs percipiendis, quæ ſenſibus ingrata ſunt, ſed etjam in ijs quæ ſuaviter afficiunt explorandis hæc libido dominatur. Nam etiam in fornicationes quidam nulla voluptatis carnalis, ſed experiendi libidine præcipitati ſunt. Iſto malo Alipius tentatus fuit, qui cùm audiret Auguſtinum ante converſionem, nullo modo poſſe cælibem vitam ducere, cœperat

Lib. 6. Confeſſ. c. 12. & ipſe deſiderare conjugium, *nequaquam victus libidine talis voluptatis, ſed curioſitatis. Dicebat enim*, inquit Auguſtinus, *ſcire ſe cupere, quidnam eſſet illud, ſine quo vita mea, quæ illi ſic placebat, non mihi vita, ſed pœna videretur.* Ex hoc malo cupiditatis exhibentur ſpectacula, indagantur naturæ ſecreta, artes magicæ addiſcuntur: hinc petuntur ab ipſo Deo ſigna & prodigia, reſponſa quæruntur umbrarum, divinationes appetuntur. Hinc tota vita hominum, novarum alienarumque rerum nihil ad nos pertinentium, nihil utilitatis habentium, niſi ut noſcantur dumtaxat, curioſitate ſcatet. Et quia in ſenſibus externis oculi ad noſcendum principatum tenent, vitium illud, quando conſenſum animi ad ſe trahit, *Concupiſcentia oculorum* ab Apoſtolo appellatum eſt.

Sed eſt & tertia libido maximè omnium imperioſa atque pernicioſa, duabuſque præcedentibus libidinibus quò ſpiritualior, mentique propinquior & intimior, eò tenaciùs adhæret, tanquam quæ non ſuburbia mentis, ſed ipſam arcem occupavit. Hæc eſt illa ſpiritibus damnatis propria cupiditas, quâ timeri & amari ab hominibus, in ſe, donisque Dei gloriari, dominari alijs, & ſibi placere lubet: quæ uno verbo *libido excellendi* appellari poteſt. Hæc oppugnatu & expugnatu difficillima eſt, &

A ultima; quia viſceribus animi profundiùs impreſſa illo diabolico telo: *Eritis ſicut Dij*. Cui Geneſ. 3.
malo qui conſentit, in *ſuperbiam vitæ*, ut Apoſtolus appellavit, incidit. Ex qua vel maximè fit, ut non ametur Deus, neque caſtè timeatur: *Superbis* enim ille *reſiſtit: humilibus autem* Iacob. 4.
*dat gratiam.* In quo genere eſt & illa *libido laudis* periculoſa, quæ ad privatam quandam excellentiam contrahere tentat aliena & emendicata ſuffragia; & hoc ipſo ſæpè ſurgit violentiùs, quo à nobis ipſis arguitur & deprimitur: de ipſo quippe vanæ gloriæ contemptu ſubinde homo vaniùs gloriatur. Tres igitur iſtæ libidines generales ac principales ſunt, ad quas veluti primas radices, aliæ multæ minores ignobilioreſque revocantur; quarum nonnullæ etiam vocabulis, quibus appellentur, carent. Sed ſive nomen proprium habeant, ſive non habeant, ex effectibus agnoſcuntur.

B Omnium quippe libidinum hoc proprium eſt, quòd attractivâ & perſuaſivâ, eoque imperioſiore quo blandiore poteſtate conſenſum voluntatis alliciunt, & ad ſe trahunt, eoq; modo univerſum mundum flagitijs & facinoribus impleverunt. Nam juxta diverſitatem libidinum quibus conſentitur à voluntate, diverſitas quoque peccatorum naſcitur. Ex quo factum eſt, ut quemadmodum nos omnes libidines ſeu concupiſcentias ad tria capita revocavimus, ita quoque peccata quibus refertus eſt mundus, ad tres veluti fontes, unde omnia omnino peccata fluunt, Apoſtolus Ioannes revocet: *Omne quod eſt in mundo*, hoc eſt, in di-
lectoribus mundi, ut Auguſtinus exponere ſolet, ſicut domus pro inhabitatoribus ponitur, *Concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Concupiſcentia enim carnis omnia illa peccata comprehendit, quę propter carnis voluptatem quinque ſenſibus hau- 1. Ioan. 2.
C ſtam perpetrantur: Concupiſcentia oculorum ſciendi experiendique curioſitatem, quia *viden-* Lib. 11. Confeſſ. c. 35.
*di officium*, inquit Auguſtinus, *in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri ſenſus ſibi de ſimilitudine uſurpant, cum aliquid cognitionis explorant.* Dicimus enim, Vide quid ſonet, Vide quàm durum ſit &c. quin etjam de intellectu dicimus, Vide quàm verum ſit. Superbia vitæ per ſe ſatis nota eſt. His igitur tribus vitiorum generibus univerſa omninò peccata continere ſæpiſſimè Auguſtinus & conſtanter ab initio converſionis uſque ad finem vitæ docuit, ſemper intelligens curioſitatem illam generalem per *concupiſcentiam oculorum*. Hinc libro de vera Lib. de vera relig. c. 38.
religione, quem paulò poſt baptiſmum exaravit: *Concupiſcentia carnis*, inquit, *voluptatis infimæ amatores ſignificat: concupiſcentia oculorum curioſos: ambitio ſæculi* (ſic ipſe legere ſolet) *ſuperbos*; quam ſcripturam ad ejus probationem affert, quod paulo antè præmiſerat: *ſerviunt*

D (homines infideles) *cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel ſpectaculi*, id eſt, ſpectandi ſeu ſciendi aliquid. *Nego eſſe quemquam iſtorum, qui nihil colendum exiſtimant, qui non aut carnalibus gaudijs* ſubditus ſit, *aut potentiam vanam foveat, aut aliquo ſpectaculo delectatus inſaniat.*



Et libro

Et libro ſecundo de Geneſi contra Manichæos A ad eandem Apoſtolicam doctrinam reſpicit, quando dicit; *Non decipit* ( diabolus ) *niſi aut ſuperbos, aut deſiderijs carnalibus implicatos, aut curioſos.* Et in libris de Trinitate: *Anima* (delapſa à Deo) *omnia officia ſua ad eos fines refert, quibus curioſè corporalia ac temporalia per corporis ſenſus quærit; aut tumido faſtu alijs animis corporeis ſenſibus deditis eſſe affectat excelſior; aut cœnoſo gurgite carnalis voluptatū immergitur.* Quod ſtatim addit fieri *propter experiendi, vel excellendi, vel contrectandi cupiditatem.* Et in Commentarijs ſuper Pſalmos: *Hæc tria genera vitiorum, id eſt, voluptas carnis, & ſuperbiæ, & curioſitas omnia peccata concludunt: quæ mihi videntur à Ioanne Apoſtolo enumerata cùm dicit: Omnia quæ in mundo ſunt &c. per oculos enim maximè curioſitas prævalet.* Quibus tribus tentationum generibus ibidem Chriſtum Dominum à diabolo in deſerto pulſatum fuiſſe docet. Et in appendice B Sermonum: *Cùm iſta triplici tentatione Dominus fuiſſet tentatus; (quia in omnibus illecebris mundi huius tria ſunt, aut voluptas, aut curioſitas, aut ſuperbia) quid ait Euangeliſta? Poſtquam perfecit diabolus omnem tentationem. Omnem, ſed ad illecebras pertinentē. Reſtabat alia tentatio in aſperis & duris, in ſævis, in atrocibus atque immitibus; reſtabat alia tentatio,* nempe duriſſimæ paſſionis. Et omniū accuratiſſimè in tractatibus ſuper Epiſtolam ſancti Ioannis locum ipſum exponens: *Omnes dilectores mundi mundus vocantur. Ipſi non habent niſi tria iſta, deſiderium carnis, deſiderium oculorum, & ambitionem ſæculi.* Et paulò pòſt: *Deſiderium carnis, id eſt, deſiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, ſicut cibus, & concubitus, & cætera huiuſmodi. Deſiderium oculorum dicit omnem curioſitatem. Iam quàm latè patet curioſitas ipſa in ſpectaculis, in theatris, in ſacramentis diabolicis, in magicis artibus, in maleficijs: ipſa eſt curioſitas. Aliquando tentat etiam ſervos Dei, ut velint* C *quaſi miraculum facere; tentare utrum exaudiat illos Deus in miraculis curioſitas eſt &c. Ambitio ſæculi ſuperbia eſt. Iactare ſe vult in honoribus, magnus ſibi videtur homo ſive de divitijs, ſive de aliqua potentia.* Et cuncta concludens: *Tria ſunt iſta, & nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum, aut ambitione ſæculi. Per tria iſta tentatus eſt Dominus à diabolo* &c.

*Lib. 2. de Geneſ. cont. Manichæos cap. 26.*
*Lib. 12. de Trinit. c. 9.*
*Ibid. c. 10.*
*In Pſal. 8.*
*Serm. 1. in appen. Tom. 10.*
*Tract. 2. in Epiſt. Ioan.*

Ex quibus perſpicuum eſt, Auguſtinum ſemper ſenſiſſe conſtanterque docuiſſe, omnia omninò peccata tribus iſtis concupiſcentijs concludi; & conſequenter omnes libidines atque tentationes quibus urgemur, ad illas tres generales, quas recenſui, libidinem ſentiendi, noſcendi, excellendique revocari. Sed hoc intelligi debet de libidinibus, quæ, ut ipſe jam ſtatim locutus eſt, *ad illecebras pertinent*, hoc eſt, quibus bonum aliquod quo mulcetur & allicitur ſenſus, appetitur. Sunt enim & aliæ libidines ſive paſſiones, quibus ad arcendum malum, quod illis concupitis repugnat voluptatibus, vel ad faciliùs aſſequendum concupitū bonum provocamur. Nam quemadmodum fuga mali fundatur in amore contrarij boni, & iraſcibilis in concupiſcibili; ita motus animi, quibus provocamur ad averſandū arcendùmque malum, in libidinibus illis ad bonum cōcupiſcendum impellentibus radices habent. Sic ergò ex tribus illis cupiditatum generibus primùm omnia perpetrantur flagitia, prout flagitium peccatum eſt quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum proprium animum & corpus ſuum: ſed ex flagitijs in facinora, quibus alteri noceant, proſilitur: nimirum, ut removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur. Vnde Auguſtinus, cùm *libidinem noſcēdi in facinoribus* vigere docuiſſet, eaque facinora in multiplices diviſiſſet ramos, breviter eorum originem aperiens addit: *Hæc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi, & ſpectandi, & ſentiendi libidine, aut unâ aut duabus earum, aut ſimul omnibus.* Facinora verò ad iraſcibilem pertinere in eiſdem Cōfeſſionibus ſuis tradit; ubi ſe dicit olim *iram* poſuiſſe *in facinoribus, libidinem in flagitijs.* Illa cōmitti, *ſi vitioſus eſt ille animi motus in quo eſt impetus, & ſe iactat inſolenter ac turbidè:* Hæc verò, *ſi eſt immoderata illa animi affectio, quâ carnales hauriuntur voluptates.* Vbi per carnales voluptates eas intelligit, quæ percipiuntur de carnalibus, hoc eſt, terrenis bonis; ut ſuprà declaravimus.

Quòd ſi cui fortè movetur ſcrupulus ſub quo libidinum iſtarum trium genere libido poſſidendi collocanda ſit, is ſciat libidinem poſſidendi nunquam eſſe primam; ſed ex alia quapiam iſtarum trium, vel duabus, vel omnibus velut radice proficiſci. Divitiæ quippe, quemadmodum velut ſatellites ſunt omnium cupiditatum, omniumque flagitiorum atque facinorum, ita quoque libido poſſidendi ſervit cæteris. Vnde optimè Auguſtinus: *Divitiæ ob hoc expetuntur, ut alicui iſtarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus ſerviant.* Et hæc quidem paulò prolixiùs tractavimus, quòd ad ſequentia pleniùs intelligenda non mediocrem uſum habitura ſint.

*Lib. 4. c.*
*Lib. 10. C[onf]. c. 3[6].*

CAPVT

# CAPVT NONVM.

## Nulli concupiſcentiæ licet conſentire.

[A] HIs ita conſtitutis quæritur, utrum nulli iſtarum concupiſcentiarum cõſentire liceat, hoc eſt, utrum omnis conſenſus voluntatis, quo libidinem quamcunque ſeu concupiſcentiam explere ſtatuit, non alia de cauſa, niſi quia importunè vel delectabiliter aliquid petit, ſit peccatum. Licere enim res ipſas ſeu actiones ad quas inſtigat libido, propter alios fines aſſumere, extra controverſiam eſt. Nam quamvis concumbendi libido importunè conjugatum ſtimulet, vel jejunantem concupiſcentia cibi delicati, non tamen idcircò à concubitu vel cibo abſtinere tenetur, ſi ratio ſuſtentandæ naturæ, vel propagandæ prolis cibum aut concubitum poſtulaverit. Etſi enim hujuſmodi libidines malæ ſint, uſus tamen earum ligitimus propter alios fines non eſt malus, ſed potiùs bonus. Hoc eſt enim, quod frequenter Auguſtinus docet, conjuges concumbendo ad ſuſcipiendam [B] prolem, *benè uti libidinis malo*: & ſicut malus uſus boni eſt malus, ita bonum uſum mali eſſe bonum. Vnde & illud celebre ſancti Bernardi, cùm in benefactis vanitate ſeu inanis gloriæ cupiditate tentaretur: Non ſuſcepi propter te, non etjam deſinam propter te.

Hoc igitur tanquam quod extra controverſiam eſt, prætermiſſo dicimus, nulli omninò concupiſcentiæ ſive libidini propter ipſam explendam licitum eſſe adhibere conſenſum. Quę doctrina ſicut juxta ſanctum Auguſtinum eſt veriſſima, ita Chriſtianis omnibus certiſſima eſſe debet: quam & Scripturæ ſacræ ſive veteris ſive novi Teſtamenti, & Auguſtinus earum regulam ſecutus, conſtantiſſimè docet. Nam [*Ecclſiaſt. 18*] in veteri Teſtamento Sapiens jubet: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quod præceptum ſæpè inculcat Auguſtinus [*Lib. de Spir. & litt. c. ult*], & ad juſtitiam hujus vitæ [C] pertinere declarat. Quid eſt autem poſt concupiſcentias ſuas non ire, niſi id quod adjiciendo explicatiùs dicit, præſtare animæ concupiſcentias ſuas, ſeu id animæ ſuæ præſtare, quod concupiſcendo flagitat, quia flagitat? Nam alia de cauſa præſtare quod flagitat, non eſt animæ præſtare concupiſcentias ejus, neque poſt concupiſcentias ſuas ire, ſed potiùs concupiſcentiam tumultuantem ſpernere, neglectáque concupiſcentiarum importunitate, neceſſitatem vel juſtam utilitatem adeoque rationis, & ipſius veritatis præſcriptum ſequi.

Sed in novo Teſtamento Paulus Apoſtolus in hac doctrina tradenda ſingularis eſt. Nam ſi vel ipſa vocabula, quibus concupiſcentiam nominat, attendere voluerimus, hæc ſatis per ſeipſa clamant, aſſenſum qui ejus deſiderijs adhibetur, ut ejus delectatione perfruamur, neceſſariò eſſe perverſum. Primum enim nomen ejus eſt, *lex peccati*: quo vocabulo non alia de cauſa concupiſcentia nominata eſt, niſi quia id quod appetit, hoc eſt, peccatum motuum ſuorum importunitate inſtar legis quodammodo jubet, & cogit. Vnde Auguſtinus: *Lex peccati dicitur, quia ſuadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet.* [*Lib. 1. oper. imp. f. 105.*] Et in libris de nuptijs, ideò legem peccati verbis Apoſtolicis nuncupatam dicit, *quòd hominem ſibi ſubditum fecerit*, & addit, *et quodammodo jubenti* non obediendum. [*Lib. 1. c. 22. & 23.*] Quis verò dixerit, ipſi legi peccati & peccatum jubenti conſentire licere, cùm nec homini peccatum ſuadenti conſentire liceat? Quamobrem cùm Auguſtinus legem peccati deſcripſiſſet eam eſſe, quæ peccata ſuadet & jubet, ſtatim addit: *Et ſi ei mente ſerviatur, ſine excuſatione peccatur.* [*Lib. 1. oper. imperf. ſup. citato.*] Ecce quantâ aſſeverandi fiduciâ docet, ſi legis peccati, hoc eſt, concupiſcentiæ motibus mente ſerviatur ſine excuſatione peccari. Et alibi exponens Apoſtoli locum; *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: quod ſic*, inquit, [*Lib. 1. de nupt. c. 31.*] *intelligendum eſt, mente ſervio legi Dei, non conſentiendo legi peccati.* Et in eodem libro: [*Cap. 23.*] *Hæc ergò concupiſcentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex juſtitiæ vetat obedire, dicente Apoſtolo: Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs ejus.* Et in opere imperfecto adverſus Iulianum de eadem concupiſcentia & lege peccati peccatum jubente loquens: *In eis autem qui Deo donante faciunt quod præceptum eſt, id eſt, commotæ atque inſtanti non obediunt, nec ei arma exhibent membra, ineſt quidem, ſed non regnat.* [*Lib. 2. oper. imp. f. 450.*] Et paulò inferiùs: *Quomodo præcipimur ei non obedire, niſi jubenti, ſive ſuadenti?* Alterum nomen eſt *peccatum*, quo concupiſcentiam ſæpè Apoſtolus nominat. Itaque fidelium animos ad ineundum cum eo certamen accendens, ſententiam iſtam limpidiſſimæ veritatis luce perſpicuam facit: *Non regnet*, inquit, *peccatum* [*Rom. 6.*] *in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus.* Ecce conſenſum omnem voluntatis peremptoriâ deciſione interdictum: *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Ecce omnem concupiſcentiæ cui conſenſus datus fuit, executionem per externa membra velut inſtrumenta cooperationis inhibitam. Quorum præceptorum tanta perſpicuitate fretus fidentiſſimè jam antè definit Auguſtinus, quòd *ei lex juſtitiæ vetat non obedire.* [*Lib. 1. de nupt. c. 23.*] Quod longè conſtabit manifeſtiùs, ſi concupiſcentia, cur peccatum dicta ſit, apparuerit. Peccatum autem dicitur, ut exponit Auguſtinus, non ſolùm, *quia peccato facta eſt*: ſed in primis, [*Lib. 2. cont. Iul. cap. 9.*] quia *rebellando nos trahere nititur ad reatum.* Quã doctrinam crebèrrimè inculcat. [*Lib. 1. ad Bonif. c. 13.*] Peccatum vocatur,

vocatur, *ſive*, inquit, *quòd peccato facta ſit, ſive quòd peccandi delectatione moveatur, etſi ei vincente delectatione iuſtitiæ non conſentiatur.* Et libro primo de nuptijs, concupiſcentia *peccatum vocatur, quòd & peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit.* Et omnium expreſſiſſimè: *Concupiſcentia alio modo peccati nomen accepit, quòd ei conſentire peccatum ſit, nobiſque moveatur invitis.* Non poſſet Auguſtinus manifeſtioribus verbis aperire mentem ſuam, ac definire ſententiam, quam hic tradimus, quòd voluntatis motus, quo conſentit concupiſcentiæ, peccatum ſit, quàm dicendo quòd *peccatum, ſi vicerit, facit*; quòd *peccandi delectatione moveatur*; denique quòd *ei conſentire peccatum ſit.* Quæ doctrina ab ipſa Synodo Tridentina comprobata eſt, & extra diſputationis ulterioris aleam collocata. Nam Auguſtini ſententiam in Seſſionem & Canonem quintum transferens declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari concupiſcentiam, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit; ſed *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, ita videlicet, ut ſi conſenſus voluntatis acceſſerit, jam id ad quod inclinat, id eſt, peccatũ reipſa perpetratum ſit. Nihil enim ad peccati rationem ejus inclinationibus atque motibus deeſt, niſi ut conſenſus accedat. In qua ſanè duplici Etymologia, quòd ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, tota natura concupiſcentiæ ſeu libidinis accuratè tangitur. Nam libido in creatura rationali non aliter exorta eſt, niſi quia voluntate ad peccãdum liberè præeunte, ſine ullo adhuc proritãte vel repugnãte libidinis motu, ipſa libido ſtatim velut pediſſequa dominam ſuam voluntatem adjutura ſucceſſit; ut ita peccatum, utroque appetitu ſimul concupiſcente, & alterum altero per quandam quaſi iſtius actus conſuetudinem augente, impleretur. Ex quo fit, ut, ſicuti conſuetudo neceſſariò parit actus ſimiles ijs à quibus producta eſt, ita & iſta concupiſcentia, quæ peccando primùm inſtar conſuetudinis cujuſdam exorta eſt, & peccandi conſuetudine roboratur (ut fusè ſuprà declaravimus) non poſſit alios motus edere, quàm ſibi ipſi & matri ſuæ ſimiles; ut ſicut ipſa filia peccati eſt, ita peccati & ipſa mater fiat. Nam quemadmodum impoſſibile eſt, ut ex habitu avaritiæ prodeat alius motus quàm avaritiæ, & generaliter ex cujuſcunque peccati habitu vel conſuetudine non poteſt niſi deſiderium peccandi proficiſci; ita quoque ex libidine velut generali quadam conſuetudine, quæ peccato facta eſt, non aliud niſi peccandi delectatio, & libido naſci poteſt. Qua de cauſa & Auguſtinus concupiſcentiam, qua infirmati ſumus, propter agendi perſeverandique ſimilitudinem, avaritiæ comparare non dubitat: *Sic*, inquit, *& in homine interiore animus res eſt, rapina actus eſt, avaritia vitium eſt, id eſt, qualitas ſecundum quam malus eſt animus etiam quando nihil agit, unde avaritiæ ſuæ ſerviat, etiam quando audit: Non concupiſces &c.*

*Lib. 1. c. 23.* (beside "primo de nuptijs")
*Lib. de perf. inſtit. c. ult.* (beside "Concupiſcentia alio modo")
*Lib. de perf. inſtit. c. 2.* (beside "non dubitat: Sic, inquit")

Hinc eſt, quòd cùm idem Auguſtinus vel ipſam concupiſcentiam vel ejus deſideria ſeu motus exprimit, plerumque alicujus malitiæ vel peccati, ad quod inclinat, mentionem facit: ut intelligeremus fieri nullo modo poſſe, quin ejus motibus cõſentiendo peccetur. Nonnunquam enim concupiſcentiam *amorem perverſum* nominat. *Hæc* (ſcelera) *hominum ſunt malorum, ab illa tamen erroris & perverſi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam naſcitur.* Subinde *amorem rerum vanarum atque noxiarum; vanam, pravamque cupiditatem.* Quis verò ſobrius dixerit, ſine peccato ullo perverſis, rerumque vanarum atque noxiarum amoribus vanis, praviſque cupiditatibus nos poſſe conſentire? Ipſos verò libidinis motus ſuis coloribus exprimens, plerumque non aliud niſi *deſiderium peccati* nuncupat. *Concupiſcentia carnis* (de qua Apoſtolus, cùm dicit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum* &c.) *utique culpabilis atque vitioſa eſt, nihilq; eſt aliud quam deſiderium peccati.* Eoſdem improbans motus adverſus Iulianum: *Rogo*, inquit, *ſi eſt in vobis ullus ſenſus humanus, num poteſt & malum eſſe peccatum, & bonum eſſe deſiderare peccatum?* ſcilicet per concupiſcentiæ deſideria. Et inſtantiùs idem urgens, *inſanum eſſe* dicit, *qui cum peccata mala eſſe fateatur, neget eſſe malum concupiſcentiam peccatorum, etiamſi adverſus eam concupiſcente ſpiritu, peccata concipere ac parere non ſinatur.* Aliquando verò, quod idem valet, *delectationem peccandi* vocat: *humana ægritudinis eſt in carne mortali delectationem habere peccandi.* Et alibi: *Peccatum dicitur, quod peccandi delectatione moveatur.* Subinde *deſiderium mali*, ut quando dicit de concupiſcentiæ motibus contra Iulianum: *Deſiderium mali malum eſt.* Aliquando *provocationem ad malum*; ut cùm dicit: *Ad malum provocabat, & malum non fuit?* Quæ ſanè omnia planiſſimè nobis indicant, quodnam iſtorum motuum objectum Auguſtinus eſſe ſentiat, neque fieri ullo modo poſſe, ut voluntas eis niſi delinquendo conſentiat. Quis enim dixerit deſiderijs peccati, concupiſcentijs peccatorum, deſiderijs mali; ſine peccato poſſe conſentiri?

Quod ne tantum ratiocinando colligere videamur, ipſa loca Auguſtini proferamus, quibus obrui poſſit quiſquis huic ſententiæ refragetur. Hoc enim, ſine ambiguitate definit, quando dicit: *Concupiſcentia cauſa peccati eſt defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.* Hoc docet, quando dicit: *Dicimus dimitte nobis debita, non propter concupiſcentiam, ſed propter peccata quæ fiunt, ſive in eius conſenſionibus, cùm ab eo quod libet vincitur id quod placet* &c. Hoc idem tradit, quando confidenter clamat: *Omnes homines iudicant, laſciviæ non eſſe peccatum, niſi quia concupiſcentiæ conſentitur. Nullumne ergò malum eſt, cui conſentiendo peccatur?* Hoc denique generaliter tradit, quando de omnibus concupiſcentijs ſine diſcrimine ullo generatim pronuntiat: *Concupiſcentias malas*, (cujuſmodi juxta Auguſtini doctrinam omnes omninò ſunt) *quibus ſi benè vivimus, non conſentimus, tamen eſſe non negamus, in nobis frenandæ ſunt* &c. Et alibi æquè generatim: *Quando malè utitur homo membris bonis, niſi quando conſentit eis, quæ in nobis habitant,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*habitant, cupiditatibus mali* ?

Sed iſtam doctrinam tradit adhuc longè evidentiùs, cùm ſine ullo omninò tergiverſationis ambiguo docet, nihil omninò *propter concupiſcentiam* titillantem poſſe fieri, etjam tùm cùm per illam aliquid boni, quod nobis ad vitam transfigendam utile vel neceſſarium eſt, obtinere contendimus. Conjugatis enim legitimam prolem piâ voluntate habere cupientibus, neceſſe eſt, ut libidine ſtimulante atque tumultuante prolem ſeminent. Rurſus quando corpus languens inediâ cibo potuve reficiendum eſt, ſæpè amor edendi diſtinctus à fame ſuis illecebris animum provocat. Sed quamvis utriſque & prolis ſeminatio & corporis per alimenta reſtauratio, & aliorum ſenſuum operatio, quâ nonnihil boni per eos facere nitimur, naturæ lege conceſſa ſit, nec ſine libidine titillante fieri poſſit, neutris tamen quicquam omninò propter illam explendam facere licet. **B** Dura hæc ſanè eſt lex ijs, quibus cum pecoribus animus in præſepi eſt, vel qui uxores non niſi in originalis plagæ ſeu concupiſcentiæ carnalis lenimentum ac lenocinium ducunt: ſed veris Chriſtianis, qui libidinoſis voluptatibus ſerenitatem rationis obnubilantibus animum ſuperiorem gerunt, omninò gratiſſima atque veriſſima. Quam Auguſtinus paſſim adverſus Pelagianos libidinum omnium patronos fideliſſimos, conſtantiſſimâ cœleſtis doctrinæ auctoritate commendat. Nam de conjugum caſtiſſimorum complexu loquens: *Non* *Lib. 4. cont. Iul. c. 2.* *importunè*, inquit, *in conjugatis eſſe dicatur* (concupiſcentia ſeu libido) *ſi enim ſummum culmen obtinent pudicitiæ conjugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam.* Et de Catonis hominis infidelis honeſtate diſputans, nihil eum propter voluptatem feciſſe tradit; ſi *Lib. 5. c. 9.* rigidi ſervator honeſti fuit. *Qualis vir*, inquit, *Cato fuerit, & utrum in eo vera virtus honeſtaſque* **C** *laudata ſit, alia quæſtio eſt. Ad quemlibet tamen finem ſua referret officia, non utique ſine voluptate filios procreavit; & tamen nullos Catonis in actus ſubrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas: quoniam & quod non faciebat ſine voluptate, non faciebat propter voluptatem, nec in morbo hujus deſiderij ſuum vas poſſidebat.* Quam doctrinam ne quis ſoli commixtioni conjugum peculiarem eſſe crederet, quaſi in ea tantùm nihil propter voluptatem, ſeu concupiſcentiæ ſedandam importunitatem, fieri poſſe lex divina permitteret, alijs locis ad omnes aliorum ſenſuum voluptates extendit. Nam de primorum hominum voluptatibus, quæ per corporeos ſenſus ab eis percipi potuiſſent, ac de libidine carnalium *Lib. 4. cont. Iul. c. 14.* ſenſuum hanc regulam tradit: *Vt nullus ſupervacuus ſive importunus motus eſſet ex illa, nihil niſi quod prodeſſet, fieret per illam,* NIHIL OMNINO FIERET PROPTER ILLAM. Et paulò pòſt ex ejuſdem regulæ præſcripto provocationibus **D** comedendi atque bibendi, hoc eſt, libidini atque voluptati cibi ac potus illos limites figit, ut ſalus corporis, non voluptas attendenda ſit; neceſſitas, non cupiditas. Quem limitem ſi titillationibus cupiditatis provocati

**A** tranſierimus, *malum quod fecimus pœnitendo teſtamur. Eoque malo bene tunc utimur* inquit, *quando per illam non niſi quod ſaluti conducibile eſt agimus.* *Ibid.* Virorum quippe temperantium illa in reſtaurandis animis corporis ſui præcipua lucta eſt, ut cùm comedendo bibendoque per voluptatem, quam guſtando percipiunt, tranſire neceſſarium ſit, non faciant aliquid propter adjunctas inhiantis & inſidiantis cupiditatis illecebras, quod propter ſolam corporis neceſſitatem fieri debere confitentur. Hinc enim eorum gemitus ac pœnitendi dolor, cùm illas metas ſe tranſijſſe cognoſcunt. Quas voluptatis illius inſidias, & ſanctorum luctam, quam cum ea indeſinenter gerunt, ne neceſſitatis limitem tranſeat, præclarè deſcribit Auguſtinus: *Hoc me docuiſti*, inquit, *ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* *Lib. 10. Cõfeſſ. c. 31.* Ecce metam, quam libidini comedendi atq; bibendi honeſtas fixit. Iam vide, quibus inſidijs voluptatis fiat, ut dum per illam tranſire cogimur, animum ab honeſtatis intuitu detrahat, ut propter illam ſatiandam fiat, quod valetudinis causâ faciendum eſt. *Sed dum* *Ibid.* *ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt alius quà tranſeatur, quàm quò tranſire cogit neceſſitas. Et cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis causâ me facere dico, vel volo.* Vtriuſque verò valdè manifeſtam differentiam ſubjicit, ex qua poſſunt ſine errore diſcerni: *Nec idem,* *Ibid.* inquit, *modus utriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt.* Iam verò iſtam ordinis naturalis perverſionem, per quam animus ab intuenda honeſtate ad voluptatem ſpectandam detorquetur, eſſe malam, perſpicuè Auguſtinus non de illa ſola comedendi, ſed de omnium ſenſuum libidinibus ex profeſſo docet. Cùm enim libidinem ſentiendi deſcripſiſſet eſſe illam, *quæ nos ad ſentiendum ſive conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit*; *Lib. 4. cont. Iul. c. 14.* ſtatim adijcit: *Hæc eſt contraria dilectioni ſapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo, quantùm attinet ad eam partem, quâ ſibi ſexus uterque miſcetur, benè utuntur nuptiæ; cum conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam.* Quam regulam benè utendi voluptate etjam ad aures, omnemque ſenſum in ſequentibus prorogat: *Movetur certè animus* *Ibid.* *ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic, ſi ſonum non ſenſum libido audiendi deſideret, improbatur: quanto magis, ſi cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectatur.* Ecce improbatur, ſi ſonus, id eſt, ſonorum delectatio etjam in divino cantico diligatur, multoque magis ſi inanibus cantiunculis animus delectetur. Quod non eſt aliud, quàm id quod alijs verbis dicimus, tunc eſſe peccatum, cùm libidini audiendi ſonos delectabiles voluntate conſentimus. Sic eum improbari, non velut actum minùs perfectum tantummodo, ſed tanquam indecentem & inhoneſtum, hoc eſt,

tanquam

tanquam verum peccatum, & pœnâ dignum, ſine dubitatione ſentit Auguſtinus. Nam eandem peccandi facilitatē in ſonoris illis aurium illecebris proſequens alibi accuratiùs, de ſeipſo jam Deo ſerviente, jam ſancto, jam à ſecularibus illis & hiſtrionicis ac theatricis aurium corruptelis remotiſſimo, ſic loquitur: [Lib. 10. Confeſſ. c. 33] *Sed delectatio carnis meæ, cui* MENTEM ENERVANDAM NON OPORTET *dare, ſæpè me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur, ut patienter ſit poſterior: ſed tantùm quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur: ita in his* PECCO *non ſentiens, ſed poſtea ſentio.* Et paulò pòſt, cùm etjam nimiâ ſeveritate ſe ſubinde valdè errare dixiſſet, & inter periculum voluptatis & experimentum ſalubritatis fluctuare, ſic definitivâ ſententiâ controverſiam iſtam dirimit: [Ibid.] *Cùm mihi accidat, ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat,* POENALITER ME PECCASSE CONFITEOR, *& tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi ſum, flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiſcum intus agitis, unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent.* De odoribus, alijſque ſenſuum cæterorum lenociniis eadem planè ratio eſt. Nam quamvis, cùm adſunt, percipi poſſint, neque neceſſe ſit nares vel claudere vel corpus avertere, ipſorum tamen ſuaveolentijs vel blanditijs, cùm adſunt, animum per carnem paſcere, vel cùm abſunt, ad paſcendum animum requirere, vitioſum eſt. De oderatûs enim, guſtûs, atque tactûs objectis ſenſui externo commodis & blandientibus ita generaliter Auguſtinus: [Lib. 4. cont. Iul. c. 14.] *Ea vero quæ his* (objectis incommodis, ut putoribus, amaritudinibus, æſtibus, frigoribus, aſperitatibus &c.) *contraria commodè ſumimus, ſi nihil eorum intereſt ad ſalutem, vel ad declinandam doloris laboriſve moleſtiam, etiamſi cum aliqua ſumuntur delectatione, cùm præſto ſunt, tamen cum abſunt, nullâ ſunt deſideranda libidine* (hoc eſt, oblectandorum dumtaxat ſenſuum cupiditate, atque voluptate) *ſi autem deſiderantur, non eſt bonum. In quibuſlibet enim talis domandus & ſanandus eſt appetitus.* Et mox oſtendit exemplo, eum qui ingreditur locū thymiamate redolentem, non neceſſariò debere nares claudere: & addit: [Ibid.] *Sed numquid cum inde fuerit egreſſus, id domi ſuæ vel quacunque pergit, deſiderabit? Aut ſi deſideraverit, ſatiare debet iſtam libidinem, non frenare, & contra concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere, donec ad illam redeat ſanitatem, qua nihil tale deſideret?*

Ex his, quæ hactenus de ſenſuum externorum uſu diximus, facilè intelligi poteſt, quis juxta doctrinam Auguſtini ſit inculpabilis & verus perfectuſque Chriſtianæ vitæ modus, qui in eorum objectis licitis (quædam enim ſpeciali vel voto, vel præcepto, vel omnibus omninò, vel cuidam hominū generi prohibentur, de quibus hîc non agimus) admittendis vel reſpuendis obſervari debet. Nimirum, ut ea objecta ſenſuum, quæ ad fugandam laboris doloriſque moleſtiam, ſalutemve procurandam aliquam utilitatem habent, admitti poſſint: cùm verò nihil eorum intereſt ad ſalutem tuendam vel moleſtias doloris aut laboris avertendas, quamvis cùm nullo quæſita ſtudio adſunt, non neceſſariò reſpui debeant, ſed percipi etjam cum ſenſu delectationis poſſint, utporè quibus ita conjuncta eſt delectatio, ut niſi ſenſus ab objectis avertatur, vel mens vehementi intentione à ſenſibus alienetur, neceſſariò ſentiatur; cùm tamen abſuerint, nullâ voluptatis fruendæ cupiditate deſideranda ſunt. Hoc enim jam eſſet libidini conſentire, ſive, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſſet *regnare peccatum* (id eſt, concupiſcentiam) in noſtro *mortali corpore.* Hoc eſſet, quod ipſe vetat, *obedire concupiſcentijs eius.* Hoc eſſet, quod iterum non minùs ſtrictè vetat, *exhibere membra arma iniquitatis peccato.* Hoc eſſet, quod *non oportere* dicit Auguſtinus, *delectationi carnis mentem enervandam dare.* Hoc eſſet, quod naturalis ordinis rectitudo prohibet, rationi ſenſum ſeu libidinem præponere atque dominari. Hoc eſſet denique non *per illam*, quod ſæpè licet, ſed *propter illam* aliquid facere, quod nunquam licet, nec licuit, nec licebit.

## CAPVT DECIMVM.

### Voluptatis causâ miſceri conjugi peccatum eſt; & quare. Doctrina Scholaſticorum quorundam contraria ex Pelagianis manavit.

HINC ergò jam perſpicuè patet vera ratio ſanctiſſimæ Chriſtianiſſimæq; illius regulæ, quam Auguſtinus in utendis moderandiſque conjugum carnalibus voluptatibus tradit. Docet enim conſtantiſſimè concubitus illos omnes, qui non ſuſcipiendæ prolis, ſed voluptatis ſolius cavsâ fiunt, venialia quidem, ſed tamen vera eſſe peccata. De quo ſaluberrimo pudicitiæ conjugalis freno ſic loquitur in libro de peccato originali: [Lib. de pecc. orig. c. 38.] *Concupiſcentia non nocebit* (baptizatis) *niſi cùm eâ malè utuntur; non ſolùm in omnibus illicitis corruptelis, verum etiam in ipſis conjugibus, quando non propagandi voluntate operā creandis filijs impendunt, ſed laſciviendi voluptate exſaturandæ cupidini inſerviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus, ne fraudent invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut orationibus vacent, ſecundum veniam, non ſecundum imperium concedit Apoſtolus. Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et in libro primo de nuptijs: *Iſto* (carnali) *bono* (commixtione) *malè utitur, ut ſit eius* [...]

*intentio*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*intentio in voluptate libidinis, non in voluntate* A
Ibid. c. 15. *propaginis*. Et inferiùs: *Aliud eſt non concumbere niſi ſolâ voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.* Cujuſmodi exceſſus concumbendi, inquit etiam paulo poſt,
Cap. 34. *qui non ſunt causâ prolis voluntate dominante, ſed causa voluptatis vincente libidine, ſunt in conjugibus peccata venialia.* Et in libris adverſus Iulianum
Lib. 2. c. 10 ſcriptis: *Quibus ab illo* (malo concupiſcentiæ) *rebellante etſi non lethaliter, ſed venialiter, tamen vincimur, in his contrahamus unde quotidie dicamus: Dimitte nobis debita noſtra; ſicut conjuges, quando modum generationi neceſſarium cauſa ſolius voluptatis excedunt.*
Lib. 3. c. 16 Et in libro tertio: *Quando conjuges, non prolis ſuſcipiendæ, ſed carnalis voluptatis explendæ vitii cupiditate concumbunt, hoc non laudatur, ſed ignoſcitur in comparatione mali pejoris, intervenientibus & deprecantibus nuptijs.* B Et libro quarto, ſcopum Chriſtiani conjugis in carnali commixtione definit:
Lib. 4. c. 3. *Vt ſit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluptate propaginis. Si autem vicerit, & propter ſeipſam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit, voluptas veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas.* Et libro de bono conju-
Lib. de bono conjugali cap. 10. gali: *Quis ambigat, abſurdiſſime dici, non eos peccaſſe quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant.* Et ſtatim uberiùs: *Concubitus neceſſarius cauſa generandi inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem qui ultra neceſſitatem progreditur, non jam rationi, ſed libidini obſequitur. Et hunc tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem.*
Cap. 5. Nempe, quia illum potius *invitus patitur*, ut C loquitur Auguſtinus, quam facit; & ideo ſine peccato facit: ad quam debiti reddendi
Cap. 7. tolerantiam ex connubij pacto & *charitate conjugali* obligatur. Et in ſermone quinquageſimo tertio de diverſis præclarè, qui totus
Serm. 53. de diverſ. c. 13. locus audiri meretur: *Cæterum qui uxoris carnem amplius appetit, quam præſcribunt limites iſti:* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA, *contra ipſas Tabulas* matrimoniales *facit, quibus eam ducit uxorem.* Nam iſta fuit olim ſolemnis clauſula matrimonialium tabularum, quibus exprimebant quam ob cauſam uxores ducerent. *Recitantur Tabulæ, & recitantur in conſpectu omnium atteſtantium, & recitatur:* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA; *& vocantur Tabulæ matrimoniales. Niſi ad hoc demur, ad hoc accipiantur uxores,* QVIS SANA FRONTE DAT FILIAM SVAM LIBIDINI ALIENÆ? Sed ut non erubeſcant parentes, cùm dant, recitantur Tabulæ: VT SINT SOCERI, NON LENONES. *Quid ergo de Tabulis recitatur?* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA. *Tergitur frons*

A *patris atque ſerenatur auditâ voce Tabularum. Videamus frontem viri accipientis uxorem. Erubeſcat & maritus aliter accipere: ſi erubeſcit pater aliter dare. Sed ſi non poſſunt (aliquando jam iſta diximus) exigant debitum: non progrediantur ultra debitores ſuos. Et fœmina & vir infirmitatem ſuam in ſe conſolentur. Non eat ille ad alteram, & illa ad alterum, Vnde appellatum eſt adulterium, quaſi* AD ALTERVM. *Et ſi egrediuntur metas matrimoniales pacti: non egrediantur metas matrimoniales thori.* NVNQVID HOC NON EST PECCATVM, AMPLIVS QVAM LIBERORVM PROCREANDORVM NECESSITAS COGIT, EXIGERE A CONIVGE DEBITVM? *Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit: Hoc autem dico ſecundum veniam &c.* Sed quid multis? Omnes pœnè libri adverſus Iulianum atque Pelagianos hujuſmodi ſententijs paſſim ſparB ſi ſunt. Vnus interim locus erit inſtar omnium, ex illo libro, quem ad formandam Chriſtianæ vitæ perfectionem ex propoſito ſcripſit: *Quæ ſunt autem levia, & quæ gravia* In Enchir. *peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda* ad Laurent. *judicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque* c. 78. *Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa: quale illud eſt, quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite* 1. Cor. 7. *fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum in id ipſum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam veſtram: quod putari poſſet non eſſe peccatum; miſceri ſcilicet conjugi, non filiorum procreandorum causâ, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, ſive adulterij, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum quod turpe eſt etiam dicere, quò poteſt tentante ſatana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Poſſet ergo (ut dixi) hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet: Hoc autem dico* C *ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Quis autem jam eſſe peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apoſtolica autoritas fateatur.*

Et iſtam quidem doctrinam ſuam ab Apoſtolo Paulo ſanctus Auguſtinus evidenter traditam fuiſſe meritò arbitratur. Cùm enim ille conjugibus incontinentibus dixiſſet: *Iterum revertimini in id ipſum, ne tentet vos Satanas* 1. Cor. 7. *propter incontinentiam veſtram*; ne quis putaret hoc eſſe vel præceptum, vel permiſſionem puram, ut nunc perperam quidam recentiores æſtimant, ſtatim quaſi corrigendo vel ſe explicando ſubjungit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Vbi Auguſtinus legere ſolet: *ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Venia verò culpam fuiſſe, cui venia concedatur, perſpicuè ſupponit. Vnde iſta ipſius jam citata ſuperiùs verba: *Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et iſta: *Et quis ambigat abſurdiſſime dici, non eos peccaſſe, quibus venia datur?* Et iſta: *Quis jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur?* Et iſta contra Iulianum: *Neque enim quod ego commemoravi ſecundum veniam concedere Apoſtolum (ubi* Lib. 2. cont. Iul. c. 7. *procul-*

*procul dubio notatur, etſi ignoſcitur culpa) ſaltem verbotenus attingere voluiſti: aut quòd ab illo opere, ut orationi vacent, ceſſare conjuges admonentur &c. Ita cum mihi pro illa* (concupiſcentia) *reſpondere cuperes, ſed Apoſtolo reſiſtere non auderes, nec in aliam ſententiam, ſicut ſoleis, illud Apoſtolicum teſtimonium detorquere potuiſſes, omnino inde tacere voluiſti.*

Tam perſpicuum enim cenſebat hunc Apoſtoli locum, ut ab adverſario niſi cum evidenti abſurditate eludi non poſſe judicaret. Cujus rei ratio eſt, quod Auguſtinus genuinam vim græcæ vocis, quæ per *veniam* vel *indulgentiam* latinè verſa eſt; accuratè ponderaſſe videatur. *Συγγνώμη* enim, quæ Græcè habetur, propriè ſignificat, non permiſſionem, ſed *veniam* ſeu *ignoſcentiam*, qua peccato alicui ignoſcitur. Notum eſt enim *συγγινώσκειν* idem eſſe quod *ignoſcere*; ut apud Euripidem: *συγγνώσεταί σοι τὴν ἁμαρτίαν, ignoſcet tibi peccatum.* Et uſitatiſſimè dicitur: *σύγγνωθι μοι, Ignoſce mihi.* Et apud Chryſoſtomum de ſacerdotio: *συγγνώσῃ μοι, Ignoſces mihi.* Hinc derivatur *συγγνωςός*, is cui ignoſcitur: ut in libro ſapientiæ: *πάλιν δὲ οὐδ᾽ αὐτοὶ συγγνωςοὶ, Iterum autem nec his debet ignoſci.*

Sapient. 13. v. 8.

Hinc itaque *συγγνώμη*, quæ apud Paulum eſt, & propriè veniam, ſeu ut Agellius loquitur *ignoſcentiam* denotat, aptiſſimè Græco iſti vocabulo reſpondentem.

Agell. lib. 7 noct. c. 3.

Quare communiſſima eſt phraſis apud Demoſthenem & alios *συγγνώμην ἔχειν*, vel *διδόναι, veniam ſeu ignoſcentiam tribuere.* Thucydides: *ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω, viro ignoſco.* Et Plato libro ſecundo de Republica: *πολλὴν πᾶ συγγνώμην ἔχει, καὶ ὀυκ ὀργίζεται τοῖς ἀδίκοις, multam veniam impertit, & non iraſcitur delinquentibus.*

Plato lib. 2. de Repub.

Et Ariſtoteles libro tertio Ethicorum: *ἐν τούτοις γὰρ καὶ ἔλεος, καὶ συγγνώμη, In iſtis enim* (quæ per ignorantiam ſingularium circumſtantiarum perpetrantur) *miſericordia & venia locum habent.*

Ariſt. lib. 3. Ethic.

Quamobrem vir facilis in danda venia & condonandis peccatis vocatur *συγγνωμονικὸς*; cui, ut Budæus, opponitur *τιμωρητικὸς, pronus ad vindictam ſeu vindicativus.*

Budæus in Comm. ling. græcæ.

Ariſtoteles in quarto Ethicorum de viro manſueto ſeu leni: *ὀυ γὰρ τιμωρητικὸς ὁ πρᾶος ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμονικὸς, Manſuetus enim non eſt ad ulciſcendum, ſed potius ad veniam dandam ſeu ad ignoſcendum pronus.*

Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 11.

Et in ſenſu paſſivo libro ſequente: *ὅσα γὰρ μὴ μόνον ἀγνοοῦντες, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἄγνοιαν ἁμαρτάνουσι, συγγνωμονικὰ, quæ non ſolum ignorantes, ſed etiam per ignorantiam delinquunt, digna ſunt: venia*, hoc eſt, quibus ignoſcatur, ſeu venialia.

Lib. 5.

Itaque ſignificatio iſta vocis Apoſtolicæ *συγγνώμη* vulgatiſſima & verè genuina eſt: nec ullum exemplum afferri poteſt, ex Scriptoribus Græcis, ubi *συγχώρησιν*, hoc eſt *conceſſionem* vel *permiſſionem* ſignificet. Hunc verò ſolum locum ad eam ſignificationem torquere, ut quidam imperiti voluerunt, eſt vulgatiſſimas vocum ſignificationes invertere, ut res falſæ & ab antiquis improbatæ faciliùs Chriſtianis obtrudi poſſint. Hoc ergo ſolidiſſimo fundamento nixus Auguſtinus tantâ fiduciâ Pelagianos libidinum conjugalium patronos ad Apoſtolum provocat: & *ignoſcendi* vocabulum, tanquam eum imitatus, qui *ſecundum ignoſcentiam* hoc dixerat aut permiſerat, crebrò multis locis & libenter uſurpat. Itaque cùm alicubi Apoſtolica citaſſet verba, ne fraudarent invicem, & iterum reverterentur in idipſum. *Quid eſt hoc?* inquit. *Ne ultra vires aliquid vobis imponatis: ne continendo à vobis invicem, in adulteria corruatis. Ne tentet vos Satanas propter intemperantiam veſtram.* Et confeſtim adijcit: *Et ne fortè quod permittebat, iubere videretur: aliud eſt enim iubere virtuti, aliud permittere infirmitati: ſtatim ſubiunxit: Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Nam vellem omnes homines eſſe, ſicut meipſum. Tanquam diceret:* NON IMPERO VT FACIATIS: SED IGNOSCO SI FECERITIS.

Vide ... lib. 1. ... Iulian. ... & lib. ... Eccl. ... lib. ... c. 10. ... Enchir. ... Lib. 1. ... nupt. ... Serm. ... divers.

Itaque ſententiam iſtam tanquam ex ipſis Chriſtianæ, imo æternæ legis penetralibus hauſtam, veteres & ſancti Patres, qui vel ante Auguſtinum, vel poſt illum in Eccleſia fuerunt celebres, ne Anſelmo ac divo Thoma quidem excepto, ita docuerunt, ut vel nulli vel pauci certè quod ſciam, inveniri poſſint, qui concubitum in conjugibus voluptatis causâ licitum eſſe ſenſerint, uſque ad ætatem Scholaſticorum, qui ſuis argutijs libidinis retinaculum præcinendo, caſtiſſimam doctrinam immutare cœperunt. Qua in re viri boni & Catholici non advertunt, ſe Pelagianos in hac doctrina ſua duces ſequi. Illis enim tanquam præſtantiſſimis libidinis advocatis ſententia Auguſtini ſummopere diſplicuit, apertèque docuerunt, omnem concubitum conjugum etjam ſolius voluptatis causâ eſſe permiſſum. Teſtatur hoc Auguſtinus diſertiſſimè: *Tibi autem libido non niſi præter uxorem videtur eſſe culpabilis. Quid ergo de Ambroſio iudicabis, qui intemperantem in coniugio, adulterum quemdam appellat uxoris?*

Lib. 1. ... Iul. c. 7.

Et ipſe Iulianus: *In coniugibus cum honeſtate exercetur*, concupiſcentia. Quod ita intelligebat, *ut exceſſus libidinis*, qua conjuges vel ſe contra naturam uterentur, vel aliquid aliud petulantius deſignarent, ſentiret eſſe culpabiles.

Lib. 3. c. ...

Indicat hoc partim Auguſtinus libro ſecundo de nuptijs, ubi Iuliani ſententiam innuens & moderans dicit: *Tantum non ſe converterent coniuges in eum uſum, qui eſt contra naturam*, Et ipſe Iulianus qui culpabat *exceſſum in intemperantiæ fornicandi*: & quamvis admitteret conjugium *eſſe remedium*, tamen ſimul ſentiebat inter conjuges aliquid *petulantius* poſſe committi.

Cap. ult.

Lib. 3. cont. Iul. c. 13. Ibid. c. 15.

Quæ ſanè doctrina quid aliud continet, quàm id quod nunc nonnulli Scholaſtici docent? Nam quamvis addant, in concubitu propter voluptatem, non per ſe ratione finis iſtius, ſed *per accidens* poſſe eſſe peccatum, *propter vehementiam*, ſcilicet *voluptatis*; multi,

Pontius lib. 3. de matrim. c. ult. & ...

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*piatis*; emplaſtrum eſt, quod vulneri nullo A pacto mederi poteſt. Si enim non eſt malum vel ſemel ſtimulantis voluptatis ergo concumbere, neque bis, neque ter, neque decies, neque millies idem facere erit malum. Etſi vehementia voluptatis in actu peccatum facit, profectò ſemper facit. Semper enim vehementiſſima eſt, & ita mentem rationalem obruit, & abſorbet, ut nihil omnino eam cogitare ſinat. Quapropter ſi ſemel illud Auguſtini principium extorquetur: quòd nihil *propter illam voluptatem* faciendum ſit, ſed concubitus voluptatis cauſâ conjugibus liceat, nullus omnino limes remanet, intra quem poſſit conjugum temperantia coërceri, ſed velut navis amiſſo clavo, ubique fluctuabimus. Veriſſima quippe erit Iuliani ſententia, libidinem naturalem in conjugibus cum honeſtate exerceri, in quem tamen vehementiſſimè inſurgit Auguſtinus: *Tunè* B *melius nuptias honoras, in quibus libidini licentioſiſſimum ſpatium tribuiſti, ne fortaſſis offenſa defenſorem ſibi alium provideret?* Et intrà: *Tu ergo melius honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omnino reprehenſibili volutabro carnalis concupiſcentiæ decoloras?* Et alibi: *Quamvis tu, quod monuit Apoſtolus, ne in morbo deſiderij ſuum vas quiſque poſſideat, non de conjugio, ſed de fornicatione accipiendum putaveris; atque ita temperantiæ totam honeſtatem de concubitu conjugum abſtuleris, ut nemo ſibi videatur in morbo deſiderij ſuum vas poſſidere, quantacunque libidine in uxoris genitalibus potuerit inſanire. Si enim ullum ibi tenendum exiſtimares modum, potuiſti & illic concupiſcentiæ reprehendere exceſſum, eumque ab Apoſtolo ſignificatum morbum deſiderij.* Quæ Auguſtinus idcirco adverſus Iulianum ingeminat, quia concubitus conjugum, non illos, qui vel proli, vel conjugum valetudini, vel alijs externis de cauſis periculoſi eſſent aut C vetiti, (de quibus nunquam ulla cum Pelagianis diſceptatio fuit) ſed illos, qui cauſâ voluptatis fiunt, nolebat Iulianus velut exceſſum libidinis reprehendi, niſi tunc, cùm limes conjugalis carnis excederetur. Contra hunc errorem perpetuò docet, & ex Apoſtolo probat, cum conjuge voluptatis cauſâ concumbere eſſe libidinis exceſſum, eſſe peccatum ſecundum veniam permiſſum, quod nos dicimus veniale, eſſe morbum deſiderij, in quo vas ſuum poſſidere inſtar gentium Apoſtolus vetat.

Lib. 2. cont. Iul. c. 7.

Lib. 5. c. 9.

Cujus quidem doctrinæ ſaluberrimæ una radix eſt, ſi rem rationis momento ponderare voluerimus, quam nonnunquam tangit in iſtis allegatis teſtimonijs Auguſtinus, quia ratio non debet à libidine ſuperari, & mens rationalis non debet immundæ cupiditati ſubjugari. Beſtialis eſt enim ille commixtionis uſus, ut non proles, ſed voluptas ex con- D cubitu libidine dominante quæratur. Cùm enim lex æterna jubeat, *ut omnia ſint ordinatiſſima*; impoſſibile eſt hoc eſſe ordinatum, ut ratio, cui per eandem æternam legem dominatus in inferiores partes datus eſt, voluptatum libidini ſerviat, multòque magis impoſſibile, ut illum ordinem naturalem perturbando non peccet: cùm lex æterna non ſit alia, niſi *ratio divina ſeu voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans.* Hanc peccati originem in concupiſcentiæ ſervitute tangit, & accuratè pertractat Auguſtinus in libris de libero arbitrio. Cùm enim primò docuiſſet, illam eſſe æternam legem, qua juſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima, mox adijcit: *Hiſce igitur motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus eſt. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus eſt omnino, ubi deterioribus meliora ſubjiciuntur.* Quod cùm Evodius quicum diſputabat, admitteret, ſic adjungit: *Ratio, vel mens, vel ſpiritus, cum irrationales animi motus regit, id ſcilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur eâ, quam æternam eſſe comperimus.* Et paucis interjectis addit, menti regnum in libidines æternâ lege conceſſum eſſe: regnum verò iſtud mentis humanæ, eſſe ſapientiam. Sapientes enim ſunt, *quos*, inquit, *veritas vocari iubet, id eſt, qui regno mentis omni libidinis ſubiugatione pacati ſunt.* Sicut è contrario ſtultus, *in quo mens ſummam poteſtatem non habet.* Cùm verò mens libidine ſit potentior, neque enim eſſet ordinatiſſimum, ut impotentiora potentioribus imperarent, & conſequenter nemo mentem libidini obtemperare cogat, niſi propria voluntas & liberum arbitrium, hinc concludit Auguſtinus, *iuſte mentem, & pro peccato tanto pœnas pendere.* Quis enim neget peccatum eſſe ſtultitiam, ſeu actum, quo mens ſtultè agit, dum ſibi, cui imperium in libidinem æternâ lege debetur, clavum extorqueri, & ejus impetu ad concubitum, vel quamcunque libidinoſam voluptatem rapi ſinit? Nihil enim *propter ipſam*, ne quidem extorquente libidinis importunitate, à creatura rationali decet fieri: utpote cui ad fines illos dominante ratione collimandum eſt, ad quos res unaquæque naturalis ordinis rectitudine inſtituta eſt. Qua de cauſa, quod in prædictis locis præſcripſit de concubitu conjugum venialiter malo generatim, hoc alibi deducit explicatiùs particulatim omnes concubitus reſecando, in quibus eorum infirmitas peccat: *Si tantas vires habet iſta pudicitia conjugalis, tantumque Dei donum eſt, ut faciant quod præſcribunt tabulæ matrimoniales* (ut ſcilicet prolis ſuſcipiendæ cauſa miſceantur) *in ipſo quoque thoro conjugali, conflictu fortiore belligerat, ne ultra quàm generandis filijs ſatis eſt, etiam ipſum conjugis corpus attrectet. Talis pudicitia nec menſtruatis, nec gravidis utitur fœminis; nec ejus ætatis, quæ certum eſt eas iam concipere non valere. Nec eam prorſus concumbendi vincit affectus; ſed tunc relaxatur, cum ſperatur generationis effectus.* Ecce culmen perfectionis Chriſtianorum conjugum, ut neque menſtruatis, neque gravidis, neque ſenectute effœtis fœminis, neque

Lib. 22. cont. Faustum c. 27.

Lib. 1. c. 8.

Cap. 9.

Cap. 11.

Lib. 3. cont. Iul. c. 21.

in fœcundis unquam libidine ſuperante miſceantur: multò minùs tales conjuges, quas noverint eſſe tales, ad ſaturandas libidines ducant; ne alioqui parentes *alienæ libidini filiam ſuam dantes non ſint ſoceri ſed lenones*: à quo faſtigio ſi deficiunt, venialiter quidem, ſed tamen ſine dubitatione delinquunt. Addo amplius, ut pleniùs conſtet, quàm immobiliter verum ſit, nihil omnino *propter carnis voluptatem* poſſe fieri; ſi proles ipſa, propter quam miſcentur conjuges, aliter quàm commixtione libidinis ſuſcipi poſſet, etiam concumbendo delinquerent. Quod quamvis eadem rationis ſublimitas veriſſimum eſſe convincat, docere tamen non auderem, niſi Auguſtinus ante diſertiſſimè docuiſſet. Nam de matrimonio beatiſſimæ Virginis & Ioſeph diſputans, qui ſine concubitu Chriſtum Dominum ſuſceperunt; ſic ſubjungit: *Dico & aliter bonum eſſe conjugium, ubi proles niſi per concubitum, non poteſt procreari. Si enim aliter poſſet, & tamen concumberent conjuges, apertiſſimè libidini cederent, atque illo malo uterentur malè. Cùm verò propter quod ſexus ambo inſtituti ſunt, niſi eorum commixtione non naſcitur homo, propter hoc mixti conjuges illo malo utuntur benè. Si autem de libidine quærunt etiam concumbendo voluptatem, venialiter malè.* Ecce quò vera, Chriſtiana conjugalis caſtitas ſubvehenda eſt: ut ſi videlicet culmen obtineat, juxta fundatiſſimam Auguſtini regulam, *Faciat boni aliquid per illam* (libidinem) *quamvis nihil faciat propter illam. Quòd ſi libidinis voluptas vicerit, & propter ſeipſam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorſerit, voluptas veniale peccatum ſit propter nuptias Chriſtianas.*

*Lib. 5. cont. Iul. cap. 12.*

*Lib. 4. cont. Iul. cap. 2.*

*Ibid. cap. 3.*

Quod vero nonnulli de iſtius doctrinæ certa veritate dubitant atque trepidant, eo quòd matrimonium non ſolùm ſuſcipiendæ prolis causâ, ſed poſt lapſum etiam in remedium infirmitatis inſtitutum eſt, rem veram non rectè intelligendo falluntur. Non enim hoc ſenſu remedium concupiſcentiæ eſt matrimonium, quaſi libidinem voluptati carnis inhiantem in conjuge, conjux ſine peccati ullius noxa ſatiare divinâ lege ſineretur. Abſit ut indecoram illam rationalis voluntatis ſub immunda illa libidine ac voluptate ſervitutem caſtitas Chriſtianæ legis admittat. Sed ille eſt ſenſus, quòd cùm non omnes à Deo vires illas acceperint, ut imperioſam illam, & indecoris violentiſque motibus æſtuantem libidinem, ſolâ cœleſtis amoris ſuavitate ſine concubitu frenent, neque concumbendo laxare ſine flagitio fornicationis poſſint, eo quòd perſona non ſit ſua; per matrimonium fit perſona ſua, & conjux ſua, & quaſi materia in genere concumbendi licita, in qua fluctus illi concupiſcentiæ poſſint frangi; ſine peccato quidem, ſi naturalis ordo propagandi prolem ex commixtione quæratur, ſine fornicandi verò flagitio, ſi quis abuſus rei quaſi licitæ interveniat: in quod flagitium alioquin omni carens retinaculo præcipitaretur infirmitas. Docet hoc in eodem libro Auguſtinus, ubi concubitus illos conjugum peccata venialia eſſe tradiderat. *Quia non omnes capiunt verbum hoc,* (quod bonum eſt, mulierem non tangere) *reſtat ut propter infirmitatem unuſquiſque uxorem ſuam habeat; ac ſic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honeſtate nuptiarum.* Et paulo antè: *Quæ tamen voluptas* (copulæ non propter prolem initæ) *non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe.* Hoc ergo ſenſu cùm præmiſiſſet Auguſtinus *voluptatis causâ, non prolis* (uti libidine) *facit concubitum culpabilem, ſed in conjuge venialem*; paulo pòſt ſubjungit: *Cujus langoris malo conjugalis benè utitur pudicitia; contra quod langoris malum adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia*, non ita videlicet, ut omnino non peccent pervertendo ordinem naturalem, quem in appetendo concubitu lex æterna præſtituit; ſed ita ut in perſona ſibi licita, venialiter peccent. Honeſtas quippe matrimonij, quod materiam conjugibus licitam facit, eſt quaſi lectus mollior, in quem infirmitas cadit; ne concumbendo cum ſua conjuge, velut ſcelus fornicationis cum aliena perpetrando, frangatur. Hæc enim remedij ratio non ex aliqua peculiari matrimonij vel elevatione, vel ſuperaddita legis alicujus relaxatione, ſed ex ipſa ejus natura naſcitur. Cùm enim extra matrimonium, etjàm inter innocentes in paradiſo, nullus omnino concubitus liceat, ſed omnis ſit fornicarius, per matrimonium fit, ut aliquis non ſit fornicarius, quia perſona eſt jam ſua, non tamen propterea fit, ut quilibet concubitus cum illa liceat; ſed ille tantùm, qui naturalem concubitus finem intuetur. Vnde quamvis hominibus ſine matrimonio, promiſcuo concubitu, ex qualibet fœmina prolem quærere liceret, ſicut in beſtijs uſitatum eſt, non tamen idcirco, quandocunque libido ſtimularet, illam in qualibet ſatiare liceret: ſed cum quâcunque aliquis etiam tum concumberet, niſi ſpe, & intuitu, atque neceſſitate gignendæ prolis concumberet, ſine dubitatione peccaret. Tunc enim generalis illa fœminarum permiſſio hoc efficeret, quod nunc unius permiſſio; ut videlicet cum quacunque fœmina, etiam ſolius libidinis causâ, non quidem ſine veniali, ſed ſine mortali ſcelere miſceretur. Nam quod in cibis videmus, ut quidam lege divinâ vetiti ſint, ut idolothyta; vel humanâ, ut carnes in quadrageſima: quidam vero divinâ humanâque lege liciti atque permiſſi; idem & in fœminis locum habet: ut ſolutis quidem hominibus omnis fœmina interdicta ſit; conjugatis ſola aliena: uxor verò propria permittatur. Verùm ſicut non idcirco quia cibus licitus eſt, comedendi voluptatem quomodocunque explere licet, libidinemque cupediarum avidam ſatiare,

*Lib. 1. …*

*cap. …*

*Ibid. …*

ſatiare, in quo intemperantiæ vitium propriè A ſitum eſt; ſed oportet cibos non libidinosè, ſed officiosè, non ut gulæ irritamenta vel blandimenta, ſed ut ſalutis medicamenta ſumere; ita quamvis uxore propriâ ſine ſcelere fornicationis vel adulterij uti liceat, non tamen idcirco in ea ad voluptates explendas inſanire permittitur. Tetigit & hoc Auguſtinus in libro de bono conjugali: *Quod eſt in* Cap. 16. *ſuſtentanda vita illicitus cibus, hoc eſt, in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod eſt in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus, hoc eſt, in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod eſt in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc eſt in conjugibus venialis ille concubitus.* Nam in concubitu ille modus obſervandus eſt, quem in omni aliarum creaturarum uſu lex divina conſtituit, ut rebus ad utendum certo fine conceſſis, non carnalis immundæque voluptatis intuitu, cui ratio B ſubjugata ſervire cogitur, ſed illius honeſti, propter quem inſtitutæ ſunt, intentione finis utatur. Hoc in conjuge; hoc in cibo, & potu; hoc in odoribus, in coloribus, in ipſa regina colorum luce, in innumerabilibus figurarum artificijs, quibus ultra neceſſarium ac moderatum uſum, omnia per artifices videndi cupiditati blandientes plena ſunt; hoc in cantilenis, muſicisque concentibus; hoc in omni rerum ſenſibilium uſu obſervandum naturalis ordo & lex æterna præſcribit; in quam nulla cadit, aut cecidit, aut cadet unquam diſpenſatio: hoc denique ſimili planè modo in venanda per ſenſus experientia atque ſcientia; hoc in concupiſcendis illis excellentiæ illecebris, honoribus, laudibus, officijs, dignitatibus, imperijs, gloriâ; hoc in omnibus denique creaturis appetendis locum habet. Nihil enim eorum ad explendas illas cupiditates, quibus in hujuſmodi carnalis voluptatis, curioſitatis, ac ſuperbiæ fomenta & lenocinia æſtuamus & inhiamus, concupiſcere licet: ſed ſolummodo propter rationabilem vel utilitatem vel neceſſitatem. Quidquid aliter fit perperam fit. Nam ſicut in carnali ſenſuum quorumcunque voluptate admittenda, juxta fundatiſſimam Auguſtini doctrinam, multa fieri poſſunt *per illam*; quia ſæpè ad juſtos fines obtinendos niſi per illam transire non licet; nihil tamen omnino *propter illam*: ita etiam in illis reliquis duabus cupiditatibus pari omnino ratione multa fieri licet, etjam blandiente ſtimulanteque experiendi excellendique cupiditate; nihil tamen omnino *propter illam*. Qua in re quàm difficile ſit non falli, ille novit, qui quid ſint iſtæ libidines novit, & quàm occultis inſidijs etiam ſpirituales viros propter aliud facere aliquid velle, vel feciſſe perſuadeant, quod propter illas eos feciſſe veritas poſtea à libidinoſis illis nubibus evoluta & manifeſtata convincit.

# CAPVT XI.

## Proponuntur argumenta adverſus doctrinam de coërcendo conſenſu in concupiſcentiam.

SED hæc doctrina, quamvis juxta A ſublimia Auguſtini principia fundatiſſima ſit, nova fortaſſis & ingrata videbitur, præſertim ijs, qui longè ſpatioſiorem captandæ fruendæque voluptatis campum eſſe credunt, ac docent. Nam pœnè in omnibus iſtis objectis, quæ ſuprà recenſuimus, voluptatem ipſam in ſe; ſed moderatam intendi & captari poſſe ſentiunt. Vt enim nihil de ceteris honeſtioribus delectationibus dicam, de voluptatibus guſtus, & maximè tactus, quibus nullæ magis brutales ſunt, ita ſecundùm Ariſtotelis principia argumentantur: virtus quæ eſt circa paſſiones, inclinat ad fugiendum paſſiones exceſſivas, & ad capiendum paſſiones mediocres; nam qui nullo modo vellet paſſiones habere, eſſet inſenſibilis. Ergo cùm caſtitas inclinet mediocriter ad percipiendum paſſiones mediocres, tunc actus capiendi cum ea, cum qua capiendæ ſunt, eſt B actus virtutis conjugalis. Ergo velle mediocres capere cum quo oportet, & ubi oportet, talis actus non eſt malus, ſed potiùs bonus.

Item, inquiunt, delectari cum uxore non eſt malum; aliàs quilibet cognoſcens uxorem, peccaret: & ſi non ſit malum, non eſt prohibitum, quod habeatur illa volitio; cùm non feratur circa aliquod prohibitum. Ergo non eſt mala ex objecto: & non habet circumſtantiam malam finis, quia ſuppono quod non referatur in malum finem alium: ideo non eſt actus malus. Nam quod eſt per ſe malum, non poteſt bonum fieri etiam propter bonum finem. Et velle delectari cum uxore, non eſt malum ex objecto: vel ad minus eſt indifferens ex objecto: ergo ſi tale velle non ſit aliquâ malâ circumſtantiâ circumſtantionatum, talis actus non erit malus; & per conſequens non oportet neceſſariò, quod omnis actus, quo vult actû exercere cum uxore gratiâ delectationis percipiendæ, dummodo non conſtituat delectationem tanquam ultimum finem, ſit malus. Ita quidam. Addunt alij. Si uſus conjugij propter voluptatem per ſe deformitatem, licet venialem, haberet, non potuiſſet eſſe licitus cõtractus matrimonij, cùm nulla poſſit eſſe obligatio ad culpam venialem. Ideo monent, in immoderatione voluptatis

P 3 culpam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

culpam eſſe poſſe venialem. Quæ ſicut de immundiſſima & abjectiſſima illa carnis voluptate docent, ita multo magis de cæteris, quæ moderatè ſcilicet ex cibis, honoribus, dignitatibus, laudibus, & ſimilibus capiuntur, atque ideò longè majori honeſtatis umbrâ velantur.

Accedit, quòd niſi voluptas moderata poſſit ex creaturis ſpeciali præcepto non prohibitis capi, ipſa creatura, vel voluptas mala eſſe videretur. Quorum utrumque Manichæum olet. Denique ipſe Auguſtinus non ſemel diſtinguit voluptates licitas & illicitas, ut cùm dicit: *Videtis chariſſimi, etiam in iſtis corporis ſenſibus licitas eſſe, & illicitas delectationes.* Quod multis exemplis ſingulos ſenſus percurrendo declarat, & populum accuratè docet. Ad quid iſta diſtinctio, ſi nullam voluptatem etjam licitam ſenſibus externis aucupari licet? Poſtremo ipſe appetitus ſenſitivus videbitur eſſe malus, ſi nulli motui ejus, quo ſenſibile bonum appetit, nec aliud appetere poteſt, conſentire licet. Ad quid enim igitur iſte appetitus homini datus eſt? His & ſimilibus argumentis nixi confidenter docent nonnulli Recentiores, licitas innocenteſque ſenſuum externorum vel internorum voluptates ex conjuge, cibo, potu, odoribus, ſonis, muſicis, ſcientijs, honoribus, dignitatibus, & ſimilibus objectis nullâ malâ circumſtantiâ veſtitis poſſe per ſe appeti, & ijs animum poſſe delectari; dummodo adhibeatur modus. Immoderatio quippe in omnibus rebus etjam bonis vitioſa eſt. Qua doctrina fit, ut tota Chriſtianorum vita hujuſmodi voluptatibus plena ſit; neque quiſquam ſibi religioni ducat, ſi eas vel licitis mediis obtinere contendat, vel ultro oblatis cum delectatione perfruatur.

Serm. 17. de verb. Apoſt. cap. 2.

Sed in hac re, ubi de Chriſtianæ perfectionis apice ac de ſumma ſanctæ Philoſophiæ veræque pietatis agitur, nolo mihi vel ex moribus hominum cujuſcunque profeſſionis, vel ex Ariſtotelica, vel alia quacunque gentium Philoſophia præſcribi. Nam ubi didicerunt illi, quod nos Chriſto præceptore didicimus, carnem contra ſpiritum ex peccato concupiſcere? Cujuſmodi concupiſcentiarum delectabiles motus cum illi naturalis inſtitutionis beneficium eſſe crederent, quid mirum eſſet, ſi eis ad moderationem quandam redactis, perfrui nos poſſe docuiſſent, & tunc *obſequendum eſſe naturæ, cùm* ſicut ait Hortenſius *ſine magiſtro ſenſerint, quid natura deſideret?* Non moleſtè feramus unicam, & veram, & cœleſtem Chriſtianæ religionis Philoſophiam, paulò altiùs attollere Chriſtianorum animos, qui ex divina inſtitutione didicerunt ſpiritum contra carnem concupiſcere, & condelectari legi Dei ſecundùm interiorem hominem, ejuſque delectationis ſerenitatem nullis libidinoſis delectationibus nubilare. Quapropter quia res iſta ſummi momenti eſt, & veluti cardo unicus, in quo ſumma tota humanæ vitæ Chriſtianæque religionis, quatenus praxim attingit, vertitur, ex altioribus principijs juxta ſanctiſſimi & ſublimiſſimi Doctoris noſtri doctrinam, quantùm nos Deus adjuverit, demonſtranda eſt. Quæ ut ab ipſis radicibus innoteſcat, cur ſcilicet nullis omninò concupiſcentiis, quæ ſua latitudine univerſas creaturas pro objectis habent, & in eas poſſunt exardeſcere, conſentire liceat, ſed omnes velut exitiales peſtes virtutum comprimendæ ſint, generaliter indagandum eſt, quinam rationalis animi motus & affectus erga creaturas liciti ſint; quinam divina lege vetiti. Hoc enim cùm ex proprijs fundamentis conſtiterit, ſimul etjam per ſe conſtabit, quicquid de concupiſcentijs frenandis & conſenſu coërcendo diximus. Qua diſquiſitione nulla utilior in hac vita dari poteſt. Agitur enim de ſumma diſciplinæ Chriſtianæ de cardine totius practicæ Theologiæ, ubi qui tantillum velut in primis principijs aberraverit, vitam univerſam neceſſe eſt non ſolùm inter boni & mali diſcrimen fluctuare, ſed & innumeris, qui inde velut concluſiones proficiſcuntur, agendi & non agendi erroribus perturbari. Ex quo tandem fieri natum eſt, ut in iſto affectuum humanorum labyrintho, quorum æſtibus reciprocantibus vita noſtra torquetur ac retorquetur, velut filo quo regatur carens, exitum neſciat; & dum affectus noxios velut innocentes admittit, amplectitur, alit, ac fovet, patriam exilium deputet; mundúmque ſe ab immundo mundo deputans, ſordibus plenus ſit; lucri continui loco damnum ſe feciſſe continuum ſeriùs deprehendat.

Dial. Hor

## CAPVT XII.

### Affectus amoris non poteſt ſine peccato hærere in creatura.

PRIMVS igitur, & omnium affectuum humanorum quaſi cardo eſt amor. Ab illo quippe cæteri omnes ordine quodam pullulant, & ejus colore tinguntur. Eſt enim prima quodammodo coaptatio affectus ad bonum, & vinculum quoddam, quo cum bono affectus colligatur, & quando magnus eſt, arctiſſimè ſtringitur: *Quid ergo amor,* inquit Auguſtinus, *niſi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur?* Non tamen *ita ſentitur eſſe, cùm eum non prodit indigentia.* Eſt enim affectus quaſi immobilis, motus autem eſt ſenſibilior, quàm quies. Fit verò motus per alios affectus ab amore prodeuntes. Nam prout res amata varijs afficitur circumſtantijs, ita amans & amor

Lib. 8. de Trinit. cap. ultimo.

varios

varios vultus induit: re abſente deſiderat, præſente lætatur, periclitante metuit, impeditâ iraſcitur, amiſsâ triſtatur, & inſtar vertumni juxta omnes amati converſiones vertitur. Vnde in omnibus affectibus amorem dominari rectè dixeris, ſive illi reipſa aliquid amoris includant, ſive potiùs ab amore omnes veluti cauſa, juxta diverſas rei amatæ perturbationes, naturaliter profluant. Vnde Auguſtinus: *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas; id autem habens, eoque fruens, lætitia; fugiens quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt.* Quia igitur amor ſemper aliquem affectum ſibi conjunctum habet, quem, prout res amata poſtulaverit, cauſet, & omnium primus ſit deſiderium ſeu concupiſcentia, qua fertur ad rei abſentis poſſeſſionem, de amore ac deſiderio, utpote quo potiſſimum innoteſcit, indifferenter hîc locuturi ſumus.

Lib. 14. de Civit. c. 7.

Præcipua igitur quæſtio eſt, utrum creatura rationalis affectum amoris ſeu dilectionis, quam pro iiſdem uſurpamus, erga rem creatam ullam habere poſſit juxta divinas leges. Reſolutio ejus erit facilis, ſi, quid amor ſit, rectè intelligatur. Amor igitur hoc loco non eſt quælibet rei cupiditas, qua rem aliquam quovis modo obtentam cupimus; ſed qua rem aliquam creatam propter ipſam, internamque ejus pulchritudinem, vel nitorem, vel voluptatem expetimus. Si enim ipſa aliò mente referatur, jam non ipſa, ſed alia quam ſpectamus, amabitur. Exempli gratia, divitias amat, qui amat ut dives ſit; honores, qui ipſo illorum ſplendore delectatur; dignitatem, qui illa auctoritate capitur, qua ab hominibus colitur; voluptatem, qui blandam ejus titillationem appetit & nihil prętерea. Declarat hoc optimè S. Auguſt. in ſoliloquiis, ubi cùm ſcrupuloſiſſimè exquireret, quid adhuc cuperet, hoc eſt, quid amaret, quid proficiendo jam amare deſtitiſſet; & res ratiocinãdi viribus eò reducta deeſſet, ut adhuc eiſdem amoribus teneri videretur, reſpondet ei Ratio, cum qua veluti ficta perſona diſputabat: *Credo propterea tibi hoc videri, quia quamvis iſta optare poſſes, non tamen propter ſeipſa, ſed propter aliud expetenda viderentur.* Quod arripiens Auguſtinus, tanquam concinnè dictum: *Hoc eſt*, inquit, *quod dicere cupiebam: Nam quando deſideravi divitias, ideo deſideravi, ut dives eſſem, honoreſque ipſos, quorum cupiditatem* (id eſt amorem) *modo me perdomuiſſe reſpondi, eorum neſcio* QVO NITORE DELECTATVS *volebam, nihilque aliud in uxore ſemper attendi, cùm attendi, niſi quam mihi efficeret cum bona fama voluptatem. Tunc erat iſtorum in me vera cupiditas:* (id eſt, verus amor) *nunc ea omnia prorſus aſpernor, & ſi ad illa quæ cupio* (id eſt, quæ vero amore amo) *non niſi per hæc mihi tranſitus datur, non amplectenda hæc appeto, ſed ſubeo toleranda*, id eſt, non hæc amo, ſed ad aliud refero, quod ſine illis obtinere non poſſum. Et hanc Auguſtini reſponſionem tanquam elegantiſſimam approbat ſtatim Ratio: *Optimè*, inquit, *omnino. Nam nec ego illarum rerum vocandam puto cupiditatem* (id eſt, amorem) *quæ propter aliud requiruntur.* Et paulò inferiùs: *Iam certè oſtendi, nihil aliud me amare,* (quàm ſapientiam) *ſiquidem quod non propter ſe amatur, non amatur. Ego autem ſolam propter ſe amo ſapientiam; cætera verò vel adeſſe mihi volo, vel deeſſe mihi timeo propter ipſam; vitam, quietem, amicos.* Eandem doctrinam tradit in libro octoginta trium quæſtionum: *Si propter alia, quæ amanda ſunt, amor amatur, non rectè amor dicitur. Nihil enim eſt aliud amare, quàm propter ſeipſam rem aliquam appetere.*

Lib. 1. Solil. cap 11.

Ibid. c. 13.

Lib. 83. qq. q. 34.

Hoc igitur jacto principio tanquam certiſſimo, cum Auguſtino dicimus, nulli omninò rei creatæ affectum amoris tribui poſſe, & ſi tribuatur, ſine dubitatione peccari. Doctrinam iſtam tanquam ex Scripturis ſacris hauſtam, toties, tantâque inſtantiâ docet Auguſtinus, ut fortaſſe nulla veritas ſit in omnibus operibus ejus, quæ frequentiùs Chriſtianorum animis commendetur. Nos ex innumeris ejus ſententiis nonnullas in certas claſſes revocabimus, ne ſua multitudine confuſionem ac tædium pariant.

Primò igitur hoc oſtenditur ex ipſis Chriſtianæ religionis fundamentis. Nam diſciplina Chriſti jubet homines de poteſtate tenebrarum erui, ut transferantur in regnum ejus, jam in ipſo limine Eccleſiæ conſtitutos palàm renuntiare diabolo, & omnibus pompis ejus; hoc eſt, omnium rerum viſibilium illecebris, ac amoribus: prout Auguſtinus hoc ſæpè explicat. Imò religionis Chriſtianæ ſcopus in hac vita non eſt alius, niſi ut à rerum creatarum amore liberemur, ſive rumpendo per gratiam amoris vincula, quibus jam implicati ſumus, ſive animum continendo, ne perverſi amoris affectibus implicetur. Docet hoc in libro de quantitate animæ: *Ideoque bene præcipitur etiam in myſteriis, ut omnia corporea contemnat, univerſoque huic mundo renunciet, qui ut videmus corporeus eſt, quiſquis ſe talem reddi deſiderat, qualis a Deo factus eſt, id eſt, ſimilem Deo. Non enim alia ſalus animæ eſt, aut renovatio, aut reconciliatio auctori ſuo.* Quod quomodo fiat, docet in fine libri: *Spiritus rectus in ea non inſtauratur, niſi prius cor mundum fuerit, hoc eſt, niſi prius ipſa cogitatio ab omni cupiditate ac fece rerum mortalium ſe cohibuerit, & eliquaverit.* Et in octoginta tribus quæſtionibus ad illa Apoſtoli verba: Etſi exterior homo noſter corrumpitur &c. *Rectiſſime omnino, quoniam omnia viſibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus Chriſtiana diſciplina renunciatur.* Hoc autem de renunciandis amoribus Auguſtinus ſemper intelligit. Vnde ſubjungit: *Et nobis vocatis à Chriſto viſibilium delectatio* (amor) *minuitur, ut inviſibilium amore homo interior recreatus, ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, revertatur, ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, non quærens quæ videntur,* (id eſt, viſibilia) *ſed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna.* Vbi Auguſtinus ſecundùm Apoſtolicam phraſim, per viſibilia & temporalia intelligit res creatas, per inviſibilia & æterna divinas, quibus in æternitate perfruendum eſt: ut beati

Lib. de quant animæ c. 3.

Ibid. c. 33.

Lib. 83. qq. q. 64.

beati ſimus. Et libro ſecundo de Sermone A Domini in monte: *Quæ tamen omnis immunditia* (odij & contemptus rerum divinarum) *rerum temporalium dilectione concipitur, id eſt, dilectione huius ſeculi* (ſeu rerum hujus mundi, ſub quo omnes res creatæ continentur) *cui iubemur renunciare, ut mundi eſſe poſſimus.* Et in ſermonibus de verbis Domini, de vocatione Chriſtianorum diſſerens: *Ad hanc exſpectationem, & propter hanc ſpem Chriſtiani facti ſumus. Nonne ſpes noſtra non eſt de hoc ſeculo? Non amemus ſeculum. Ab amore ſeculi* (id eſt, rerum omnium ad hoc ſeculum pertinentium) *vocati ſumus* (ſcilicet ad Chriſtum & Eccleſiam: à vocando enim Eccleſia nuncupata eſt) *ut aliud ſeculum ſperemus, ac diligamus.* Si diſciplina Chriſtiana nos jubet renunciare ſeculo, hoc eſt, ut Auguſtinus exponit, ut non diligatur ſeculum neque ſecularia, peccatur profectò ſi diligatur. Nam illud Chriſtianæ diſciplinæ & renuntiationis B præceptum, non aliunde niſi ex Scripturis hauſtum eſt, quæ diſertè jubendo per os Apoſtoli Ioannis clamant: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* In quem locum Auguſtinus: *ſicut præceptum eſt omnis à Domino, quid diligant, ita per Ioannem Apoſtolum, quid non diligant, nolite, inquit, diligere mundum &c.* De cujus loci ſenſu idem Auguſtinus: *Apoſtolus Ioannes non ait: Nolite uti mundo: ſed, Nolite diligere mundum; ubi poſuit & concupiſcentiam carnis: qui enim non diligens utitur, quaſi non utens utitur, quia non eius rei cauſa utitur, ſed alterius quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur.* Clamant Scripturæ per os Apoſtoli Pauli: *Et qui utuntur hoc mundo quaſi non utantur.* In quem locum rurſus idem Doctor: *Quid eſt, quaſi non utantur; niſi non diligant quo utuntur, quoniam tale eſt, ut bene aliter non utantur? Et hoc quidem etiam in his rebus obſervandum eſt, quæ in hoc mundo ſic bonæ ſunt, ut tamen eas diligi non oporteat.* Hinc idem C Apoſtolus Paulus diſertè præcipit: *Nolite conformari huic ſeculo:* Iſtud enim amore fit, quo

*Lib. 2. de Ser. in monte c. 20.*
*Serm. 39. de verb. Domini c. 1.*
*1. Ioan. 2.*
*Lib. 6. Muſicæ c. 14.*
*Lib. 5. cont. Iul. c. 16.*
*Ibidem.*

quis amat ſeculum ſeu rem ſecularem propter ſe, non ad aliud referendo, ſeu quod idem eſt, tanquam finem dilectionis, in quo quieſcat: quod fit in omni omninò peccato, ſive mortali ſive veniali, ut infrà dicendum eſt: *Niſi voluntas*, inquit, *quicquid in eis* (exterioribus rebus) *capit, ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine cuius intuitu hæc agenda iudicat, acquieſcat, quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet, dicens: Nolite conformari huic ſeculo?* Et alibi: *Non ut conformemur huic ſeculo, finem conſtituendo in bonis talibus, & in ea detorquendo beatitudinis appetitum: ſed ut quicquid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum contemplatione faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes.* His Chriſtianæ vocationis præceptis inſtitutus Auguſtinus ubique clamat, omnia quæ in mundo ſunt, ſolo excepto Deo, vitioſè diligi, & hoc in ſacris Scripturis eſſe præceptum: *Itaque*, inquit, *in novo Teſtamento ſic abiſtorum* (viſibilium ſeu ſenſibilium) *amore prohibemur, non reſpicientes ea quæ videntur, ſed quæ non videntur &c. Amandus igitur ſolus Deus eſt, omnis verò iſte mundus, id eſt, omnia ſenſibilia contemnenda; utendum autem his ad huius vitæ neceſſitatem.* Et infrà: *Quid eſt aliud falſis bonis illudi atque decipi, quàm te ipſo inferiora, miranda atque appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in huiuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Teſtamẽto firmatam: ut nihil eorum diligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.* Ecce apertiſſimè declaratum utriuſque Teſtamẽti hanc eſſe regulam, nihil rerum temporalium eſſe diligendum, nihil mirandum, nihil per ſe appetendum, hoc eſt, ut exponit, nihil *amantis affectu* eſſe complectendum. Ex quo neceſſariò ſequitur, affectum amoris nulla in re temporali ſeu hujus mundi, qui divinitùs diligi vetatur, ſine peccato poſſe collocari.

*Lib. 11. de Trinit.*
*Lib. ibid.*
*Lib. de moribus Eccl. c. 20.*
*Cap. 21.*

## CAPVT XIII.

### Ratio petitur ex natura cupiditatis, & peccati, ſive mortalis, ſive venialis.

SED conſtabunt iſta apertiùs, ſi, quid A ſit peccatum, & unde ratio ejus petenda ſit, ex Auguſtini doctrina pauló accuratiùs diſquiramus. Tradit enim ſublimis ille doctor frequentiſſimè, non eſſe aliud peccatum, quam amorem rei temporalis, ſive rei, quæ amanti invito auferri poteſt; hoc eſt, amorem cujuſcunque creaturæ. Nam in primis libro primo de libero arbitrio cùm rationem peccati ex profeſſo inveſtigaret, atque docuiſſet, neque ex lege vetante, neque ex pœna damnante, neque ex eo, quod ſibi hoc homo nollet fieri, quod alteri facit, eſſe petendam; tandem concludit, ex ſola libidine ſive cupiditate eſſe metiendam. *Iam videte*, inquit, *non opus eſſe longa ſermocinatione, ut mihi de homicidio, ſacrilegio, ac prorſus de omnibus peccatis perſuadeatur. Clarum eſt enim, iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari; quàm alio nomine cupiditatem vocari* dicit. Et in eodem libro inferiùs: *Convenit inter nos, omnia malefacta non ob aliud mala eſſe, niſi quod libidine, id eſt, improbandâ cupiditate fiunt.* Et in libris de doctrina Chriſtiana eandem doctrinam tradit: *Non præcipit Scriptura, niſi charitatem; neque culpat, niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Et aliquantò inferiùs: *In omnibus enim talibus* (rebus prætereuntibus) *non uſus rerum, ſed libido*

*Lib. 1. de lib. arbit. cap. 3.*
*Ibid. cap.*
*Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10.*
*Cap. 12.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*libido utentis in culpa eſt.* Quod cum in utendis uxoribus non propter voluptatem declaraſſet, ſic, addit: *Animadvertendum eſt in cetero quoque* [Ibid.] *uſu rerum abeſſe debere libidinem.* Et rem iſtam velut indubitatam definitiva auctoritate decidens; *Cave putes*, inquit, *quicquam potuiſſe dici* [Lib. 3. de lib. arb. c. 17] *verius, quam id quod dictum eſt, radicem omnium malorum eſſe avaritiam, hoc eſt, plus velle quam ſat eſt. Tantum autem ſat eſt, quantum ſibi exigit naturæ in ſuo genere conſervandæ modus. Avaritia enim quæ Græcè φιλαργυρία dicitur, non in ſolo argento, vel in nummis (unde magis nomen duxiſſe reſonat: argento enim nummi, vel mixto argento frequentiùs apud veteres fiebant) ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda eſt, ubicunque omnino plus vult quiſque, quam ſat eſt. Hæc autem avaritia* CVPIDITAS *eſt; cupiditas verò improba voluntas eſt, ergò improba voluntas malorum omnium cauſa eſt.* Et alibi ſæpiſſimè repetit, [Lib. 83. qq. q. 33. & q. 35. Serm. 12. de ver. Domini. In Pſal. 147 In Pſal. 9. Serm. 115 de tempore c. 7. Lib. 1. de lib. arb. c. 13 & 15. Lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 22. Vide lib. 14 de Civit. c. 7. Lib. de grat. Chriſti c. 20.] *omnium malorum radicem eſſe cupiditatem, & radicem omnium bonorum charitatem*, eſſe *venenum charitatis; non eſſe opus Dei*; eſſe *portam mortis*: quòd *nihil boni poteſt generare*, ſicut *charitas nihil mali*. Alibi vocat eam *voluntatem malam*; & *nihil tam inimicum eſſe bonæ voluntati, quàm libidinem.* Eſſe *peccatum, cum per eam amantur* temporalia. Vſque adeo vero omnem malitiam ex cupiditate petendam eſſe ſentit, ac docet Auguſtinus, ut cupiditatem proprium peccatorum nomen eſſe definiat. Nam in libro ſecundo de ſermone Domini in monte dicit: *Voluntas eſt non niſi in bonis, nam in malis flagitioſiſque factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas.* Quod alijs in locis frequenter repetit. Et alibi: *Aliud eſt charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter ſe differunt, quantum virtus & vitium.* Et ſtatim adjungit: [Cap. 21.] *Cùm ergo peccat homo, non ſecundum charitatem, ſed ſecundum cupiditatem peccat, ſecundum quam non eſt natus ex Deo.* Et iterum: [Cap. 20.] *Sed cupiditas hominis, quæ vitium eſt, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipſa eſt enim concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Sub quibus Auguſtinus omnia omninò peccata ſolet comprehendere, ſicut ſupra demonſtratum eſt. Hoc igitur jacto fundamento tamquam in Auguſtini doctrina indubitato, quod omnis peccatorum ratio ex cupiditate ſeu libidine petenda ſit, jam videndum eſt, quid ſit illa cupiditas, illa, inquam, improbanda, illa improba voluntas, ille fons, ille radix omnium omninò malorum quibus Vniverſum perturbatur, illud quod in omni malefaciendi genere dominatur, propter quam ſolam omnia malefacta mala ſunt, à qua nihil omninò boni proficiſci poteſt, quam ſolam in Scripturis culpari tradit; [Lib. 3. de doct. Chriſt. c. 10.] ut liquidò intelligamus, utrum aliquam creaturam animus rationalis affectu amoris poſſit amplecti.

Cupiditatem igitur in eiſdem locis, ubi de illa ex profeſſo diſputat Auguſtinus, & ex ea docet omne peccatum eſſe metiendum, ſic definit: *Eſt amor earum rerum, quas poteſt quiſque invitus amittere.* Sic enim loquitur Evodius,

A poſtquam hujuſmodi definitionis veritas longâ inductione claruiſſet: *Reſipiſco, & admodum gaudeo, iam me planè cognoviſſe, quid ſit etiam illa culpabilis* CVPIDITAS, *quæ* LIBIDO *nominatur. Quam eſſe iam apparet* EARVM RERVM AMOREM, QVAS POTEST QVISQVE INVITVS AMITTERE. [Lib. 1. de lib. arbit. c. 4.] Ecce breviſſimis clariſſimiſque verbis tanquam rem certam, & planam, & probatam, nihil aliud eſſe voluntatem improbam ſive cupiditatem, quâ ſolâ peccatur, niſi amorem rerum, quas homo poteſt invitus, hoc eſt, velit, nolit, amittere. Quis autem non videt, ſub illis omne omnino quod creatum eſt, ſive quod non eſt Deus, eſſe comprehenſum? Nihil eſt enim eorum, quod non homo ſive juſtus, ſive injuſtus amittere poſſit invitus; carnis voluptatem, carnem ipſam & membra corporis, honores, laudes, gloriam, poteſtatem, divitias, uxorem, liberos, familiam, civitatem, mundum univerſum cum omnibus quæ in mundo ſunt, ſicut Auguſtinus in eodem loco probat, & reipſa invitis damnatis omnia ſubtrahuntur. B Nec opus eſt multâ diſputatione vel operosâ demonſtratione, ut oſtendatur ſequi, nihil eorum proinde amari poſſe. Nam ille ipſe amor eorum eſt hoc ipſum quod definitur, nempe cupiditas, ex cujus malitia, & propriâ internâque pernicie malum & peccatum eſt, quidquid peccatum eſt. Vſque adeo namque talium rerum amor malus & culpabilis eſt, ut ſine malitia nec fieri, nec intelligi poſſit.

Sed ne fortaſſis per tranſennam iſtud Auguſtinus docuiſſe videatur, luſtremus accuratiùs doctrinam ejus, nè vel ipſe rem minùs perpenſam, & in juventute traditam, retractaverit, vel nos eam perperam intelligendo hallucinemur. In libro igitur octoginta trium quæſtionum de eadem cupiditate diſputans, quam C omnium malorum radicem vocat, ſic eam definit: *Nihil aliud eſt cupiditas, niſi amor rerum tranſeuntium.* [Lib. 83 qq. q. 33.] Et in alia quæſtione, cùm dixiſſet, non omnem amorem amandum eſſe, rationem ſubjicit: *Eſt enim & turpis* (amor) [q. 35.] *quo animus ſeipſo inferiora ſectatur, quæ magis propriè cupiditas dicitur, omnium ſcilicet malorum radix.* Et in quæſtione ſequente: *Charitatis venenum* [Ibid. q. 36.] *eſt ſpes* (id eſt, amor, quia in ſpe amor) *adipiſcendorum aut retinendorum temporalium.* Quam ſtatim dicit eſſe cupiditatem, & addit explicando, quid ſit illa jam nominata ſpes: *Eſt autem cupiditas, amor adipiſcendi, aut obtinendi* (fortè retinendi, ut jam præmiſerat) *temporalia.* Et in libris de doctrina Chriſtiana, ubi de duobus illis capitaliter inimicis accuratiſſimè diſputat: *Charitatem* vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*: Cupiditatem verò definit *motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* [Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10.] Vbi per *motum animi ad fruendum*, amorem intelligit, ut ſæpè jam dixit. Nam revera amor non eſt aliud, quàm motus animi ad fruendum, uſque adeo, ut ſi rem amatam ille motus aſſequatur, in fruitionem ſeu gaudium terminetur, & quieſcat. Sub frui

autem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

autem ſe, proximo, & quolibet corpore comprehendit omnium omninò bonorum temporalium fruitionem. Nam fruitio ſui reſpondet amori ſui: *Quid eſt enim amare ſe*, inquit alibi, *niſi ſibi præſto eſſe velle ad fruendum ſe?* Amat autem ſe homo, quælibet ſibi bona temporalia cupiendo; unde & illis habitis fruendo, fruitur quoque ſe. Quo fit, ut iſta definitio reipſâ nihil diſcrepet à præcedentibus; ſed in hoc eſt accuratior, quod ex hoc ipſo fruitionem ſui, vel proximi, vel corporum eſſe definiat, quo *non* fiat *propter Deum*; quod propter cavillationes multas ſopiendas adjectum eſt, per quas homines, uti, non frui ſe rebus concupitis arbitrantur. Quod & alibi verbis alijs non alio ſenſu tradit, dum dicit, peccatum eſſe, quod etjamſi ſpeciem habeat boni operis, ſit tamen *non propter requiem ſempiternam.* Auguſtini enim doctrina conſtans eſt, nihil inter charitatem & cupiditatem, eſſe medium in hoc rerum ſtatu. Vnde & alibi: *Videndum quid ſit vera dilectio, imò verò, quid ſit dilectio. Ea quippe dilectio dicenda eſt, quæ vera eſt, alioquin cupiditas eſt &c. Hæc eſt autem vera dilectio, ut inhærentes veritati* (id eſt, Deo, incommutabili veritati) *juſtè vivamus: Et ideò contemnamus omnia mortalia præ amore hominum, quo eos volumus juſtè vivere.* Nimirum hoc vult, ſi non eſt dilectio, id eſt amor incommutabilis veritatis ſive Dei, jam eſſe cupiditatem. Et evidentiùs in eodem opere de Trinitate explicans inter illa duo nullum eſſe medium: *Nemo*, inquit, *volens aliquid facit, quod non in corde ſuo prius dixerit: quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ ſive creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergò aut cupiditate, aut charitate. Non quod non ſit amanda creatura, ſed ſi ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, ſed charitas erit. Tunc enim eſt cupiditas, cùm propter ſe amatur creatura; tunc non utentem adiuvat, ſed corrumpit fruentem.* Omninò breviſſimæ divinæque ſententiæ gravitate, quæ hactenus diximus, pœnè cuncta complexus eſt. Nam & cupiditatem docet eſſe quemcunque amorem cujuſcumque creaturæ; & hoc ipſo in eam incidi, quo non amatur creator; & eſſe amorem creaturæ propter ſe; & eſſe ex diametro oppoſitum charitati, nec inter illa eſſe medium; & eſſe malum, quia fruentem tanquam peccatum, omniumq; peccatorum cauſa corrumpit. Quid verò jam opus pluribus? Apertiſſimè quippe & conſtantiſſimè definitum eſt, omnem amorem creaturę eſſe improbam illam cupiditatem, quæ ſola culpatur in Scripturis, & ex qua omnis peccati ratio metienda eſt. Cupiditas autem eſt, quandocunque propter ſeipſam amatur creatura, Propter ſeipſam autem amatur creatura, cùm amatur *non propter Deum.* Nam hoc ipſo quo iſte amor creaturæ retorquetur in Deum, jam non eſt cupiditas, ſed illa laudabilis charitas, omnium bonorum operum unica & vera radix.

*Lib. 9. de Trinit. c. 2.*

*Serm. 18. de diverſis c. 4.*

*Lib. 8. de Trinit. c. 7.*

*Lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8.*

An fortè audiendus erit, ſiquis arbitretur, cupiditatem iſtam ſolùm in peccatis illis gravioribus, non in levioribus atque venialibus, juxta doctrinam Auguſtini, habere locum? Longè fallitur quicumque aliquid hujuſmodi ſuſpicatur. Nam doctrina ſuprà tradita tam dilucidè & ſine ambagibus de univerſis omninò peccatis loquitur, ut ſuperfluum ſit ingenijs non planè rudibus hoc pluribus velle demonſtrare. Et quamvis nihil expreſſius diceret Auguſtinus, quis non ipſo primo aſpectu videt, fieri nullo modo poſſe, quin ſi quid ametur, neceſſariò ſit vel creator vel creatura? Quod enim inter iſta duo medium dabis? Rurſum quis non mediocriter Philoſophiâ inſtitutus videt, nihil hominem amare, vel quoquo modo velle poſſe, niſi in aliquo ejus animus requieſcat? Motus enim iſte tendit aliquò; nec per fines ſine fine interjectos in infinitum tendere poteſt. Vbi ergò animi intentio terminatur, ibi quies: ubi quies, ibi dilectio terminatur. Hoc quid erit, niſi creatura, ſi non ſit creator? Ergò erit cupiditas; cùm illa ſit, & non alia cupiditatis ratio, niſi ut definit Auguſtinus, amor creaturæ, amor rei temporalis, amor rei quam invitus poteſt amittere, vel ut expreſſiùs dicit, & in idem redit, *amor creaturæ non propter Deum.* Si enim eſt propter Deum, ſive ut Auguſtinus loquitur, *ſi ad creatorem refertur ille amor, non iam cupiditas, ſed charitas erit.* Et ubi quæſo hîc exceptioni pro peccatis venialibus locus? Nonne neceſſe eſt, voluntatem quâ illa non minùs quàm lethifera perpetramus, vel in creatura, vel in creatore conquieſcere? vel manere & hærere in creatura, vel in creatorem retorqueri? Si retorquetur, charitas eſt; ſi hæret vitioſa cupiditas. Nam quod nonnulli putant, hoc ipſo peccatum eſſe mortale, quo creatura finis eſt alicujus motus animi, larva eſt, qua tamen plurimi ab intelligenda veritate deterrentur; ſed eam poſtea veritati detracturi ſumus.

Hinc eſt igitur, quòd ſanctus Auguſtinus, quando latiſſimum illud cupiditatis imperium ſuis limitibus circumſcribit, univerſas omninò illecebras voluptatum tam ſenſibilium, quàm paulò ſpiritualium, quæ de honoribus, laudibus, dominatione, & quacunque excellentia terrena decerpuntur, percurrere ſolet, totamque peccatorum ſilvam ſive venialium ſive mortalium ab ea pullulare decernit: idque non alia conſideratione, niſi quia creaturæ ſolo ſuæ internæ voluptatis, vel nitoris, vel celſitudinis, vel alterius cujuſcunque illecebroſi nitoris intuitu cupiuntur. Nam in Soliloquiorum libris, ubi animæ ſuæ præteritum præſentemque ſtatum ſcrupuloſiſſimè trutinat, fatetur tunc ſe illâ vitioſâ cupiditate divitias adamaſſe, cùm eas ideò *deſiderabat, ut dives eſſet*; & honores, cùm *eorum neſcio quo nitore delectatus* eos expetebat; & uxorem, cùm hoc attendebat, ut *efficeret cùm bona fama voluptatem. Tunc*, inquit, *erat iſtorum in me vera cupiditas. Nunc ea prorſus aſpernor.* Et tamen iſtæ ſunt conſiderationes hominum, quibus honores, laudes, voluptates ex uxoribus, ex cibo & potu, & ſimiles rerum creatarum delectationes appetunt, & etjam venialiter peccant.

cant. Et in libro 1. de libero arbitrio, ubi ex profeſſo materiam illam diſcutit, & ſæpiſſimè cupiditatem *malam voluntatem*, & *peccatum* vocat, illa omnia ſub latitudinem objecti ejus includit, quibus homines ſive mortaliter ſive venialiter peccare, nec aliter niſi amando ſolent. *Nihilne amant*, inquit, *aliud?* Homines videlicet qui cupiditate ducuntur. *Imò plurima ea ſcilicet in quibus adipiſcendis vel retinendis mala voluntas illa perſiſtit.* (Lib. 1. de lib. arb. c. 15.) *Opinor te dicere*, inquit Auguſtinus, *divitias, honores, voluptates, & pulchritudinem corporis, ceteraque omnia, quæ poſſunt & volentes non adipiſci, & amittere inviti.* Et mox ea, *quibus homines cupiditate inhærent*, eſſe dicit ea; *quæ ad tempus noſtra dici poſſunt.* Inter quæ enumerat, *corpus & eius quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen ſenſuum, vires, pulchritudo, & ſi qua ſint cetera, libertas, parentes, fratres, coniux, liberi, propinqui aſſines, familiares ipſa deniq; civitas, honores etiã & laudes, & ea quæ dicitur gloria popularis; ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia, quorum iure domini ſumus.* Sed hæc ſunt, quibus homines inhærentes cupiditate, non ſolum mortaliter, ſed maximè venialiter peccant. *Leges tamen*, addit, *non ulciſci peccatum, cum amantur iſta, ſed cùm alijs per improbitatem auferuntur.* Certum eſt autem peccata mortalia tunc committi, cum alijs per improbitatem auferuntur: cùm verò pacificè res illæ, quarum domini ſunt homines, amantur & poſſidentur, quantumvis venialiter, quantumvis lege temporali peccatum non puniente, peccatur tamen.

# CAPVT XIV.

## Ipſum amare creaturarum hærendo in creatura eſt peccare, etjamſi nullis alijs pravis veſtiatur circumſtantijs. Declaratur inductione.

NAM ſi naturam peccati, quod in quibuſlibet temporalibus appetendis committi ſolet, etjam ſepoſita tantiſper Auguſtini auctoritate, ſuis momentis ponderare voluerimus, non eam aliundè petendam eſſe reperiemus, quàm ex eo quòd amantur; uſque adeò ut hoc unum dumtaxat eas amaſſe ſit peccaſſe. Nec ulla ratio dari poterit, cur amor unius potiùs, quàm alterius ſit culpabilis: atque ita omnis in univerſum, ut reprehenſione ita pœnâ dignus ſit. Bonæ ſunt divitiæ, ſed divitiarum amor malus eſt. Nam hoc ipſo quo amantur, ſive multùm ſive parùm, peccatur avaritiâ. Eſſentialis enim ejus definitio non eſt alia, quàm amor divitiarum. *Avaritia eſt enim*, inquit Auguſtinus, *eſſe velle divitem, non iam eſſe divitem.* (Serm. 205. de tem. cap. ult.) Itaque Sapiens deteſtans avaritiam, non aliud quàm amorem pecuniæ deteſtatus eſt. Nam cùm dixiſſet: *Avaro nihil eſt ſceleſtius*; explicans quid ſit avarus, adijcit: *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.* (Eccleſiaſt. cap. 10.) Nec aliud Poëta voluit, qui dixit:

*Creſcit amor nummi, quantùm ipſa pecunia creſcit.*

ET alius qui avaritiam nuncupavit, *auri ſacram famem*, id eſt, amorem; & avaritiæ miſeriam Scriptura manifeſtans: *Avarus*, inquit, *non implebitur pecuniâ*, (Eccleſiaſt. 5.) hoc eſt, qui amat pecunias non implebitur eis. Nam ideò exponens adijcit: *Et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Et cur quæſo amare pecunias malum eſt, cùm pecuniæ bonæ ſint? Nimirum quia temporalium quarumlibet rerum amor malus eſt. Idem & in cæteris omnibus creatis rebus videre licet. Quid melius & rebus humanis utilius, quàm ut eis adminiſtrandis præſint viri boni? Et tamen præeſſe velle vitioſum eſt, cùm ſcilicet nihil appetitur aliud, quàm ipſe præfecturæ ſplendor, ſeu ipſum præeſſe. Hoc enim & nihil aliud eſt ambitio, & peccatum iſtud omnium ſapientium judicio improbatur. Vnde Ioannes Apoſtolus taxans quemdam: (In Epiſt. 3. Ioan.) *Is qui amat*, inquit, *primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos.* Et Auguſtinus: *Locus ſuperior etſi ita teneatur ac adminiſtretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* (Lib. 19. de Civit. c. 19.) Et adhuc efficaciùs: *Intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit non prodeſſe*, id eſt, qui amaverit præfecturam, non utilitatem, quæ indè in proximum conferri debet. Hinc de Catone: *Honores*, ſeu dignitates, *quos petivit Cato, petere non debuit, ſed eos civitas ob eius virtutem non petenti dare.* (Lib. 5. de Civit. c. 14.)

Laudem & gloriam quis dubitet eſſe bonam, cùm eam etjam præmium virtutis eſſe ſtatuant? Laudem tamen & gloriam amare vitium eſt, nec aliâ ullâ extrinſecus accerſitâ conſideratione, ſed illâ ſolâ, quòd amantur. Hoc enim eſt vitium inanis gloriæ, de quâ Auguſtinus: *Saniùs videt, qui & amorem laudis vitium eſſe cognoſcit.* (Ibid.) Quod nec Poëtam fugit Horatium:

——— *Laudis amore tumes.*

DE quo vitio paulò pòſt Auguſtinus dicit: (Ibid. c. 15.) *Huic igitur cupiditati melius reſiſtitur ſine dubitatione, quàm ceditur. Tanto enim quiſque eſt Deo ſimilior, quanto ab hac immunditia mundior.* Et de Martyribus loquens: *Si adhuc laudes hominum quærunt, nondum vicerunt.* (Serm. 108. de diverſis cap. 8.) Et



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chriſtus graviter reprehendit eos, qui faciunt opera ſua, *ut videantur ab hominibus*, hoc eſt, qui illud ipſum amant, & nihil amplius, videri ab hominibus, ut ſæpiùs Auguſtinus exponit: & res per ſeipſa manifeſta eſt.

*Matth. 23.*

Salutari ab hominibus & dignitatum titulis appellari, & primo ſedere loco in conſeſſibus non eſt malum, ſed potiùs bonum. Hoc ipſum tamen amare, tanquam vitium & peccatum à Salvatore meritò reprehenditur: *Amant*, inquit de Phariſæis, *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Vnde iſtam animi ægritudinem in ſuis diſcipulis vetat: *Vos autem nolite vocari Rabbi: nec vocemini magiſtri.* Nimirum quia hujuſmodi amare lenocinia ſuperbiæ peccata ſunt: nec alia de cauſa, niſi hoc ſolo quia amantur, & in eis amor ſe ſiſtit & hæret, neque pergit ulterius. Quod & Chriſtus ſignificavit, cùm ſubjunxit: *Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur.*

*Ibid.*
*Ibid.*

Dominum eſſe, regnum obtinere nullo modo vitioſum eſt: dominari & regnare velle vitioſiſſimum. Iſte enim affectus eſt, qui animis Tyrannorum dominatur, bellorumq; tumultibus ac tempeſtatibus genus humanum atterit & perturbat. Vnde Auguſtinus quò modeſtiùs, eò graviùs affectum illum reprehendens: *Videant*, inquit, *ne fortè non pertineat ad viros bonos gaudere de regni latitudine.*

*Lib. 4. de Civit. c. 15.*

Scientiâ quid ſublimius in rebus bonis, quas condidit Deus? Et tamen ſcientiam propter ſcientiam amare, curioſum eſt, vitium ſcilicet inquietum, quod cùm invaleſcit, etjam ad nefanda perducit. De quo præclarè ſanctus Bernardus hujus doctrinæ non ignarus: *Sunt, qui ſcire volunt, eo fine tantum, ut ſciant; & turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi; & turpis vanitas eſt. Et ſunt item, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa pro pecunia, pro honoribus; & turpis quæſtus eſt.* Cùm tamen neque ſcire, neque ſciri, neque quæſtum facere, malum ſit: ſed illis amore propter illa, hoc eſt, nihil ulterius attendentem inhærere, vitium eſt.

*Serm. 36. in Cant.*

Cibus & potus, eorumque ſapor delectabilis, bona ſunt, & in infirmitatis humanæ ſuſtentationem à Deo inſtituta; ipſa tamen per ſe amare tanquam vitium meritò reprehenditur. Hoc enim eſt gulæ proprium, quo edaces, ebrioſi, helluones, delicati ad menſam adducuntur, non ut vivant, ſicut ſapientem decet; ſed ut comedant atque bibant. Attrahit enim illos concupiſcentia delectationis, non indigentia refectionis; & ut optimè Auguſtinus, Non in cibum & potum *ex officio deſcendunt, ſed per cupiditatem ruunt.*

*Serm. 63 de diverſ. c. 14*

Concubitum quis niſi Manichæus aliquis negaverit eſſe bonum? Nam ut Auguſtinus: *Quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis; & utrumque non eſt ſine delectatione carnali.* Concubitum tamen amare propter ipſum, hoc eſt, propter concubitus delectationem, vitioſum eſt. Nam hoc eſt ille affectus ſeu cupiditas luxuriæ, quæ animis omnium luxurioſorum imperat. Nec enim aliud appetunt, quàm concubitus delectatione frui. Et hæc eſt vera ratio, cur ille concubitus cum uxore, quo non proles, ſed voluptas quæritur, ab Auguſtino & Apoſtolo tanquam peccatum veniale culpetur. *Numquid hoc non eſt peccatum*, inquit, *amplius quam liberorum procreandorum neceſſitas quærit, exigere à conjuge debitum? Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit: Hoc autem dico ſecundum veniam:* Vnde præclarè in eodem Sermone Auguſtinus: *Niſi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores,* (prolis, non voluptatis causâ) *quis ſana fronte dat filiam ſuam libidini alienæ? Sed non ut erubeſcant parentes, cùm dant, recitantur tabulæ: ut ſint ſoceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? Liberorum procreandorum causâ. Erubeſcat & maritus aliter accipere, ſi erubeſcit pater aliter dare. Sed ſi non poſſunt (aliquando iam iſta diximus) exigant debitum.* Et paulò pòſt tam de concubitu, quàm de comeſtione dicit: *In quæ duo opera prudentes & ſancti ex officio deſcendunt, imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud enim ad aliquid officio deſcendere; aliud in aliquid per cupiditatem cadere.* Hoc eſt, alij amant iſta opera propter opera, & iſta cupiditate tracti in ea ruunt, alij finem operum intuentur, ex cujus dilectione iſta opera, non amando, ſed tolerando ſuſcipiunt.

*Lib. de bono coniug. c. 16.*
*Ibid.*

Sed quid multis? Quod in iſtis rerum bonarum amoribus declaravimus, hoc in reliquis omnibus oſtendi poteſt. Neque enim ulla ratio dari poteſt, cur unius creaturæ amor, in quo ſiſtitur, potiùs malus ſit, quàm alterius. Nam quamvis plerique amores nominibus proprijs, non tamen idcircò vitio carent. Sed quia prolixum eſſet ſingulos perluſtrare, ex tribus illis cupiditatibus, quæ juxta Auguſtinum & Apoſtoli doctrinam, omnes omninò vitiorum cupiditates comprehendunt, concupiſcentiâ carnis, concupiſcentiâ oculorum & ſuperbiâ vitæ, res evidenter tota patuit. Quælibet enim illarum cupiditatum non alio ex capite vitioſa eſt, niſi quia creatura propter creaturam amatur. Neque enim aliunde ſuperbiæ peccatum eſt, niſi quia diligitur excellentia, quamvis bona, propter excellentiam: neque alia ex cauſa concupiſcentia oculorum ſeu curioſitas reprehenſibilis, niſi quia per eam *nihil aliud, quàm ſcire homines cupiunt*, ut Auguſtinus loquitur, ſeu non ob alium finem ſcire tentant, quàm *propter experiendi noſcendique libidinem*, ut ibidem dicit. Neque concupiſcentia carnis alio ex capite vitium eſt, niſi quia eſt amor alicujus rei, quæ voluptate carnem afficit propter ipſam voluptatem, ſeu quia carnalis voluptatis amor eſt, ſive illa percipiatur oculis, ſive auribus, ſive naribus, ſive gutture, ſive tactu, toto corpore, maximeq; genitalibus. Omnium quippe cupiditatum eadem ratio eſt; quòd rerum quidem bonarum amores ſint, ſed ideò vitioſi, quia amores earum ſunt, quas ſine earum amore in ſe admittere vel ſuſcipere debuiſſent. Res quippe bona *amari poteſt amore non bono*, inquit Auguſtinus. Neque enim excellere, ſcire, experiri, carnis

| volupta-

voluptatem ſentire, & admittere, ſed iſta diligere in culpam cadit. Vna igitur rei cujuſpiam tranſitoriæ cupiditas vitioſior alterâ eſſe poteſt, prout ordo naturalis magis minuſve perturbatur; nulla tamen bona. Vnde Auguſtinus in ſingulis vitijs rationem vitij ex amore creaturæ quantumvis bonæ petere ſolet: (*Serm. 47. de divers. c. 1.*) *Quanta homines dura perpeſſi ſunt, ut pervenirent ad id quod amaverunt? Sive ſit amator pecuniæ, qui vocatur avarus: ſive ſit honoris amator, qui vocatur ambitioſus; ſive ſit corporum pulchrorum amator, qui vocatur laſcivus. Et quis poſſet enumerare omnes amores?* Et in libris de Civitate Dei eandem radicem amoris creaturæ quamvis bonæ tangens: (*Lib. 14. de civit. c. 15.*) *Eſt*, inquit, *libido ulciſcendi* (id eſt cupiditas ſeu amor cujuſdam umbræ juſtitiæ ſeu retributionis, ut qui mala fecit mala patiatur) *quæ ira dicitur: eſt libido, id eſt, amor, habendi pecuniam, quæ avaritia: eſt libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia: eſt libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent. Quis enim facile dixerit, quid vocetur libido dominandi; quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam civilia bella teſtantur.*

## CAPVT XV.

### Vtrum Creaturæ, & voluptates earum appeti & amari poſſint moderatè.

VNDE ſatis mirari non poſſum, quid Catholicis illis ſcriptoribus in mentem venerit, qui propter ſolam corporis voluptatem cum uxore concumbi poſſe definiunt; quique multo maiori exorbitatione generaliter ſtatuunt, voluptates corporis, ſive narium, ſive aurium, ſive oculorum ſive alterius externi ſenſus, propter ipſas voluptates appeti poſſe, ſed moderatas. Cur non dicamus itidem, pecunias amari poſſe moderatè, ut non extincta, ſed moderata ſit avaritia? Cur non & honores, & laudes & primos recubitus, primaſque cathedras, & ut videamur ab hominibus, expeti poſſe moderatè; ut nemo ſibi ſuperbire videatur, niſi qui valdè ſuperbus fuerit? Cùm tamen Dominus in phariſæis illa culpando *ſuperbiam* reprehenderit, (*Serm. 234. de temp. c. 5.*) *non quia illa accipiunt*, inquit, *ſed quia diligunt. Sic enim cor eorum accuſavit.* Et de illis, qui videri volunt ab hominibus: *Iſte*, inquit, *finis eſt reprehenſibilis atque culpabilis, uſque ad hominum laudem velle benefacere, nihil amplius inde quærere*, hoc eſt, in iſto fine appetendo diligendoque conquieſcere. Ipſum quippe diligere primos recubitus, primas cathedras, videri atque laudari velle ab hominibus nequaquam culpa caret, ſive multùm, ſive parùm iſta diligantur. Quod ſimili omnino ratione & in ceteris omnibus creaturarum amoribus verum eſt: qui quo ferventiores fuerint, eo deteriores; quo remiſſiores, eo minùs mali, ſed tamen omnes mali. Non recipit cupiditas moderationem: tollenda eſt atque extirpanda radicitus, in quo omnis labor, omne certamen, omnis gemitus ſpiritualium virorum occupatur. Quis eſt enim qui laudis, pecuniæ, voluptatis cupidus, rectè cupidus dici queat? Perverſa ergo Philoſophia vel potiùs Theologia eſt, quę non interitum afferat pravitatis, ſed ſit contenta mediocritate vitiorum. Nec ſanè video, quî differat iſta ſententia ab opinione Epicuri, niſi quòd ille ſolam voluptatem, hi honeſtatem ſimul cum voluptate per ſe expeti poſſe fateantur. Sed Epicuri dogma fugiendo, in Calliphontis ac Dinomachi errorem, quem etiam Pelagianorum anteſignanus amplexus eſt Iulianus, incidunt. *Hominem* inquit Tullius, (*Lib. 4. Acad. quæſt.*) *iungunt cum bellua*, ut Calliphon, *qui voluptatem cum honeſtate coniungunt.* Et Auguſtinus de Iuliano: (*Lib. 6. cont. Iul. c. 16.*) *Si autem, ut aliquo loco ſignificaſti, placet tibi ſecta Dinomachi, honeſtatem voluptatemque coniungens, quod Philoſophi quoque huius mundi, qui honeſtiores vocantur, ſcyllæum bonum eſſe dixerunt, ex humana ſcilicet naturæ, beluinaque compactum: Si ergo hoc monſtrum tuá opinione ſectaris &c.*

Quapropter ſive voluptas carnis fuerit, ſive honor, ſive gloria, ſive imperium, ſive ſcientiæ, ſive pecunia, quo uno nomine continentur omnia quorum jure domini ſumus, & quorum vendendorum atque donandorum habere poteſtatem videmur, ſive alia res quæcunque temporalis, quorum amoribus plus minuſve etiam juſtorum vita implicata detinetur, immobilis veritatis eſt mandatum, ne quicquam eorum ullâ cupiditate, hoc eſt, amore appetatur, aut teneatur. Indiſpenſabilis eſt enim iſta Auguſtini regula, utriuſq; Teſtamenti litteris confirmata: (*Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.*) *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna.* Si lex æterna avertere amorem jubet, ergo citra controverſiam non avertendo, hoc eſt,

hoc eſt, eas amando peccatur. Peccatum enim, A juxta divi Auguſtini definitionem Theologorum omnium calculo comprobatam, non eſt aliud, niſi *factum, vel dictum, vel concupitum ali-* Lib. 22. cont. Fauſt. c. 27. *quid contra æternam legem.* Hujus igitur regulæ generaliſſimæ perceptuque facillimæ veſtigijs inſiſtens Auguſtinus, incunctanter docet, omnes hujuſmodi amoris affectus, quibus homines inhærent rebus temporalibus, etiam in viris juſtis eſſe ligna, fœnum, ſtipulam, hoc eſt, peccata venialia, ſeu opera quæ ardebunt in die Domini, ut ſecundùm Apoſtolicam doctrinam quaſi per ignem ſalvi fiant. *Sunt homines,* In Pſal. 80. inquit, *omnino contemptores ſeculi huius, quibus non eſt notum quicquid temporaliter fluit, non hærent dilectione aliquâ terrenis operibus &c. Sunt autem alij, qui rebus infirmitati conceſſis* (id eſt, licitis) *inhærent aliquantùm dilectione. Non rapit villam alienam, ſed ſic amat ſuam, ut ſi perdiderit conturbetur: non appetit uxorem alienam, ſed ſic inhæret ſuæ, ſic miſcetur ſuæ, ut modum non ibi teneat præſcriptum tabulis, liberorum procreandorum cauſa. Non tollit aliena, ſed repetit ſua, & habet cum fratre ſuo iudiciū. Talibus enim dicitur: Iam quidem omnino delictum eſt in vobis &c.* Ecce peccata juſtorum venialia, tamen amore commiſſa. Percurre animo omnium omnino rerum ſimilium quamvis conceſſarum, hoc eſt, licitarum cupiditates: de omnibus quippe ſimilis prorſus ratio eſt. Cùm ergo de contemptoribus talium rerum docuiſſet, eos aurum, argentum, lapides pretioſos, fundamento ſive Chriſto ſuperædificaſſe, de amatoribus earum ſic ſubjungit: Ibid. *Illi autem amantes res proprias, domos proprias, graviter conturbantur, fœnum, ſtipula, & ligna ardent. Habent ergo ligna, fœnum, ſtipulam ſuper fundamentum; ſed rerum conceſſarum, non illicitarum &c. Cùm dixeris: Amo poſſeſſionem iſtam, timeo ne pereat, & imminet damnum, & tu contriſtaris, non quidem præponis eam Chriſto &c. ſalvus eris* C *tanquam per ignem.* Et inferius: Ibid. *Sed tamen quia diligis illam, & contriſtaris ſi perdas illam, ſuper fundamentum poſuiſti, non aurum, non argentum, non lapides pretioſos; ſed lignum, fœnum, ſtipulam. Salvus ergo eris, cùm ardere cœperit, quod ædificaſti; ſic tamen quaſi per ignem* Et ut de peccatis hujus amoris venialibus ſe locutum eſſe ſignificaret, hoc eſt, de amore, quo quidem amantur res hujus ſeculi propter ſe, ſed ita leviter, ut Chriſto magis amato non præponantur, neque ex amoris magnitudine in aperta ſcelera proſilire meditentur, ſicut paulo antè expoſuerat, ſtatim adijcit: *Nemo enim ſuper fundamentum hoc ædificans adulteria, blaſphemias, ſacrilegia, idololatrias, periuria, putet ſe ſalvum futurum per ignem, quaſi iſta ſint lignum, fœnum, ſtipula: ſed qui ædificat amorem terrenorum ſuper fundamentum regni cælorum, id eſt, ſuper Chriſtum, ardebit amor rerum temporalium, & ipſe ſalvus erit per idoneum fundamentum.* Hic planiſſimè explicatum vides, D amorem cujuſcunque rei ſecularis per ignem eſſe exurendum, etiamſi fuerit juſtus qui illo A amore teneatur, & nequaquam eam ſic adamaverit, ut Chriſto duceret potiorem. Ipſe enim talium amor per ſe vitioſus eſt, & exuri dignus, etſi nihil apertè facinoroſum ex illo amore perpetretur. Amor autem hîc dicitur, ut ſuprà ab ipſo Auguſtino declaratum eſt, cupiditas illa qua res quæpiam ſecularis propter ſe diligitur, ad nihil ulterius eam referendo; ſicut à Chriſtianis hujuſmodi terrena bona diligi, & idcirco cum cruciatu amitti ſolent. Doctrinam iſtam ſæpiſſimè repetit alijs locis. Nam in libris de Civitate Dei, cùm ſimiliter ſecularium rerum affectiones voluptateſque improbaſſet, ut uxoris, cùm *ſecundùm ſeculum carnaliter, ſecundùm concupiſcentiæ morbum* diligitur, *quod*, inquit, *ſecundum veniam concedit Apo-* Lib. 21. Civ. *ſtolus*; & eas lignum, fœnum, ſtipulam eſſe docuiſſet, adijcit, eum per ignem ſalvum fore, quia *eorum amiſſione cruciabitur, quibus fruendo læ-* B *tabatur &c. Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet.* Et paulo pòſt: *Si hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum hu-* Ibid. *iuſmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in huius corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & ſtipula conſumantur: alij verò ſentiant, qui eiuſmodi ſecum ædificia portaverunt; ſive ibi tantùm, ſive & hic & ibi ſive ideo hic, ut non ibi, ſecularia, quamvis à damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſitan verum eſt.* Vbi, quod ait, forſitan verum eſt, non propter amores & affectiones hujuſmodi rerum ſecularium dicit, quaſi incertum eſſet eos eſſe *veniales* & *concremandos*: ſed propter ignem per quem ſalvi fient, utpote quem non uno modo exponi poſſe profitetur.

Hinc ex ejuſdem regulæ veritate Auguſtinus delectationes, per quas homines dum rebus ſecularibus affectu inhærent, venialiter peccare ſolent, *Babylonicos amores* vocare ſolet. Domus enim, argentum, aurum, marmora &c. *deſiderantur talia, ſed adhuc ex confuſione Babyloniæ. Amputa omnia iſta deſideria, ô civis Ie-* In Pſal. *ruſalem, ſi vis redire.* Et in alium Pſalmum: *Multi flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis, quia gaudent lucris, & flent damnis:* In Pſal. *utrumque de Babylonia eſt.* Vbi ſemper ad ſuum reſpicit principium, quo docet, omnium rerum temporalium amores, eſſe cupiditatis non charitatis amores, & idcirco ex Babylonis confuſione, non cæleſtis Sion inſpiratione proficiſci.

Hinc ulteriùs hujuſmodi delectationes & amores, quibus & juſtorum, ſed infirmorum pedes ſecularibus rebus implicati detinentur, circumſpectiſſimâ locutione non innocentes, ſed velut innocentes vocare ſolet. Locus unus præclariſſimus, ex quo omnis hujuſce cupiditatis, ſeu amoris rerum quarumcunque creatarum culpabilis labes, de qua tam diu tractamus,

mus, intelligi poterit, integer aſſcribendus eſt, quo quiſquis animi ab hujuſmodi peſtibus purgandi ſtudioſus eſt, ſine dubio delectabitur. Videbit enim, quò ſubvehat animum Chriſtiana perfectio, & in quo luto diverſorum teneculorum amorculorũ culpabilis infirmitas eum adhuc hęrere cõpellat: *Omnis anima*, inquit, *infirma in hac vita, quærit ſibi aliquid terrenum ubi requieſcat, quoniam intentionem laboris & mentis extentæ in Deum difficile poteſt perpetuò tolerare. Aliquid ſibi in terra conquirit, ubi requieſcat* (nempe amore, ſeu delectatione, quę amoris velut motus animi requies eſt) *& quodammodo pauſatione quâdam recumbat; veluti ſunt iſta, quæ diligunt & innocentes. Neque enim de* CVPIDITATIBVS *malorum nunc loquendum eſt, quia multi acquieſcunt in theatris, multi acquieſcunt in circo, in amphitheatro, multi acquieſcunt in alea, multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentijs rapinarum, multi in dolo & inſidijs fraudum.* B *Acquieſcunt in his omnibus homines. Quid eſt, acquieſcunt? delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia, ad innocentem hominem veniamus. Acquieſcit in domo ſua, in familia ſua, in conjuge, in filijs, in paupertate,* (id eſt, exiguis bonis) *in prædiolo, in novella manibus conſita in ædificio aliquo ſuo ſtudio fabricato.* Adde hîc, ſi libet, in cibo & potu, in ſuavibus odoribus, coloribus, concentibus, alijſque carnis voluptatibus; in honoribus, gloriâ populari, ſcientiâ, & quacunque tandem re animus infirmus acquieſcit ac delectatur. Neque enim omnia recenſeri prudentibus opus fuit. Iam addit: *Acquieſcunt innocentes in his. Sed tamen Deus volens nos amorem non habere niſi vitæ æternæ, & iſtis* VELVT INNOCENTIBVS *delectationibus miſcet amaritudines &c. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam ſtabulum amet pro domo.* Mox  Ibid.

A vero addit, iſtas correptiones hominem agnoſcere debere, *ſe propter peccata pati*; nempe quæ talium rerum velut innocenti cupiditate committuntur. Clamandum eſſe: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*: urentem ſecantemque medicum eſſe tolerandum, dum omnibus nos exercet tribulationibus, & *à peccato ſanat. Non enim*, inquit, *errat ut ſanum pro putri ſecet. Novit quid inſpicit, novit* VITIVM, *quia ipſe fecit naturam: quid ipſe condidit, quid de noſtra cupiditate acceſſit, diſcernit.* Nihil apertius planiuſque dici potuit. Omnes enim quantumcunque tenues etiam juſtorum cupiditates, per quas fatigatâ mentis intentione, qua ſuſpendebantur in Deũ, deorſum in creaturis voluptatulas quaſi innocentes aucupãtur, vult eſſe vitioſas, reſecandas, urendas, purgandas; & ab hujuſmodi peccatis per tribulationes temporales animum eſſe vacuandum. Quòd ſi enim ullibi eſt ſine culpa B cupiditatis delectatio, ubi magis? Si uſpiam animi in creaturis acquieſcentis excuſatio, quis non in iſtis juſtiſſimam eſſe fateatur? Nec enim facilè dari poteſt, ubi minùs amore rebus terrenis inhæretur, quàm ubi animus à terrenis tantâ in Deum extenſione ſuſpenditur. Et hæc de primo omnium affectuũ cardine, qui amor dicitur, non excluſo filio ejus primogenito, qui vocatur deſiderium, ſatis dicta ſint. Adhibendus eſt enim aliquis modus. Nam alioquin non eſſet difficile, volumen pœnè integrum ex Auguſtino de iſta veritate juxta doctrinam ejus indubitatâ concinnare. Iam igitur de filio amoris ſecundo genito, ſed velut Ioſeph plus omnibus dilecto, qui gaudium, ſeu delectatio, ſeu fruitio dici ſolet, aliquid apponendum eſt, ex quo longè uberiùs quidquid de amore diximus illuſtrabitur.

Ibid.

## CAPVT XVI.

### Secundus affectus animæ eſt fruitio. Quid ſit. Creatura rationalis nullâ re creatâ frui poteſt ſecundùm doctrinam Catholicam.

MVLTI enim res illas ſe amare neſciũt, A vel etiam non amare ſe putant quibus amoris vinculo arctè colligati ſunt, ſed ex fruitione deteguntur. Amor enim ſine fruitione, & fruitio ſine amore intelligi nequit: cùm amor ſit initium fruendi, & fruitio finis amandi. Nullus enim niſi rebus amatis fruitur; & nullus amat niſi res quibus frui velit. Ex quo fit, ut quemadmodum nulla fruitio eſt, niſi amore condiatur; ita nullus omnino amor ſit, niſi in fruitionẽ feratur. Itaque Auguſtinus amoris definitionem tradens dicit: Amor *nihil eſt aliud, quàm voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Et alibi: *Fruuntur voluptate, præcedente & præmiſſâ cupiditate. Nam qui non præmiſerit cupiditatem, pervenire non poteſt ad voluptatem.* Amor enim velut fons abſconditus fruitione prior eſt; fruitio velut fluvius aut lacus, in quem amor mergitur,

Lib. 14. de Trinit. c. 7.
Tract. 15. in Ioannem.

A amore manifeſtior eſt. Quapropter quid ſit animum rebus amatis frui paulo diligentiùs exquirendum eſt. Eò quippe confuſionis ventum eſt, ut quamvis humana vita rerum abjectiſſimarum fruitionibus plena ſit, vix quiſquam tamen ſe frui arbitretur, quia non ſibi videntur in eis finem ponere.

Fruitionis igitur ſumma eſt cum amore vicinitas, uſque adeo ut Auguſtinus fruitionis rationem explicans dicat: *Frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam. Vti autem, quod in uſum venerit ad id quod amas, obtinendum referre.* Quaſi frui non eſſet aliud, quàm amare, ſeu amore rei inhærere. Nam ſi non inhæretur rei propter ſeipſam, propriè non amatur ipſa, ſed aliud; ſicut ſuprà explicatum eſt. Fruitionem tamen non eſſe propriè amorem, pro ut ille à fruitione diſtingui ſolet, ſed fructum, & effectum, & finem ejus, alibi declarat manifeſtiùs,

Lib. 1. de doctrin. Chriſt. c. 4.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Lib. 14. de Civit. c. 7.*

quando dicit: *Amor inhians habere quod amatur,* A
*cupiditas eſt: id autem habens, eoque fruens lætitia.*
Vbi magis indicat fruitionem eſſe de re amata
& habita, quàm ipſum amorem. Amor enim,
cum res abeſt, erumpit in deſiderium, ſive cu-
piditatem: cùm obtenta poſſidetur, in læti-
tiam ſive fruitionem, tanquam effectum opta-
tiſſimum, & veluti quietem ſui motus, quo ad
rem amatam deſiderando ferebatur. Vnde
amor ut ſuprà dixit, eſt *voluntas fruendum aliquid*
*appetens, vel tenens*; quo ſignificat, amorem non
ſolùm aliquid abſens fruendum appetere, ſed
etiam præſens fruendum tenere. Nimirum
quia amor, re qua fruitur præſente, non deſi-
nit, ſed quieſcente cupiditatis motu lætiorem
vultum induit. Quare alibi ſemper fruitionem
explicat per voluptatem ſeu delectationem,
quæ de rebus amatis obtentiſq; capitur. Quod
quidem ſine amore non fit, non tamen nudo
amore fit; ſed quodam amoris effectu, quo in B
re adepta & amata quieſcendo animus quo-
dammodo diffunditur. *Nec ignoro*, inquit, *quòd*
*propriè fructus fruentis, uſus vero utentis ſit: atque*
*hoc intereſſe videatur, quod ea re frui dicimur, quæ*
*nos non ad aliud referenda per ſeipſam delectat: uti*
*verò ea re, quam propter aliud quærimus.* Et in li-
bro octoginta trium quæſtionum: *Frui dicimur*
*ea re, de qua capimus voluptatem; utimur ea, quam*
*referimus ad id unde voluptas capienda eſt.* Et in li-
bris de Trinitate: *Fruimur cognitis in quibus vo-*
*luntas ipſis propter ſeipſa delectata conquieſcit: uti-*
*mur vero eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum eſt.*
Evidens igitur eſt, tunc nos rebus amatis frui,
cùm in eis obtentis cum quadam animi volu-
ptate conquieſcimus, neque de illis ad aliquid
ulterius velut medijs ad deſideratum finem re-
ferendis cogitamus. Si enim animus aliud re-
ſpicit, quod rebus iſtis adipiſci cupit, etjamſi
cum aliqua delectatione habeantur, non eis
fruimur, ſed utimur, ut eo, quod reſpicimus, C
perfruamur. Vnde hujuſmodi mediorum *dile-*
*ctionem ac delectationem* Auguſtinus aptiſſimo
vocabulo vocat, *non manſoriam*, ſed *tranſitoriam*,
*tamquam viæ*, vel *tamquam vehiculorum*, quibus
ad aliud pergimus, cui dilectione manſoriâ
inhęreamus.

*Lib. 11. de Civit. c. 25.* — *Lib 83. qq. q. 30.* — *Lib. 10. de Trinit. c. 10.* — *Lib. 1. de doctrin. Chriſt. c. 35.*

His ita declaratis, indubitata ſancti Augu-
ſtini & Catholicæ religionis doctrina eſt, crea-
turam rationalem nullâ omninò re creatâ poſſe
frui, ſed ſolo Deo. *Res quibus fruendum eſt*, in-
quit Auguſtinus, *Pater, & Filius & Spiritus San-*
*ctus eſt, eademque Trinitas*, quàm poſteà veritatē
vocat: *Quapropter cùm illa veritate perfruendum ſit,*
*quæ incommutabiliter vivit, & in ea Trinitas.* Et
poſt enumeratas res varias temporales, inter
quas & Chriſti Domini diſpenſationem in car-
ne tranſitoriam recenſuerat; *In his igitur omnibus,*
inquit, *rebus, illæ tantùm ſunt quibus fruendum eſt,*
*quas æternas atq; incommutabiles commemoravimus.*
*Ceteris autem utendum eſt, ut ad illarum perfruitio-* D
*nem pervenire poſſimus.* Vnde in eodem libro ex
profeſſo declarat, hominem non ſolùm alijs
creaturis, ſed neq; ſeipſo, neq; proximo frui
poſſe: quia nec ſeipſum propter ſeipſum, neque
proximum propter ipſum diligere poteſt; ſed

*Ibid cap. 5.* — *Cap. 10.* — *Ibid. cap 21.*

A propter Deum. Hoc enim fruimur, quod pro-
pter ſeipſum diligimus, alioquin enim vtimur;
quo autem utimur, eo non fruimur. *Nec ſeipſo,*
inquit, *quiſquam frui debet, ſi liquidò advertas, quia*
*nec ſeipſum debet propter ſeipſum diligere, ſed propter*
*illum quo fruendum eſt.* Nam quamvis proximum
quoq; diligere jubeamur, dilectio tamen ejus
non in ipſo hærere debet, ſed in Deum propter
ſeipſum dilectum tendere; ut ita Deo non pro-
ximo perfruamur. Hinc vniverſarum Scriptu-
rarum compendium in hac ſententia ſitum eſſe
definit, ut Deum & proximum diligamus ſed
ſolo perfruamur Deo: *Omnium igitur quæ prædi-*
*cta ſunt, ex quo de rebus tractamus, hæc ſumma eſt,*
*ut intelligatur, legis & omnium divinarum Scriptu-*
*rarum plenitudo & finis eſſe dilectio rei, qua fruendū*
*eſt, & rei, quæ nobiſcum ea re frui poteſt.* Quod ſic-
uti de dilectione manifeſtiſſimum eſt, ita de
fruitione ſolius Dei ipſa dilectio invictâ ratio-
B ne concludit. Hoc eſt enim diligere, ut ſuprà
diximus, *aliquid ad fruendum appetere, vel tenere:*
ſolus autem Deus diligendus eſt; ergo ſolus ad
fruendum appetendus, & fruendus. Rurſum,
hoc eſt frui, *amore alicui rei inhærere propter ſeipsā.*
Soli autem Deo propter ſeipſum inhærendum
eſſe, fides docet; ergo & illo ſolo eſſe perfruen-
dum. Quapropter ut in re inter Catholicos
confeſſa non diutiùs inhæreamus, potiùs ratio
inquirenda eſt, cur eo ſolo perfruendum ſit, &
conſequenter cur ille ſolus amandus: unū enim
ex altero indiſſolubili vinculo religatum eſt.
Suppeditat & iſtam Auguſtinus in eodē libro
de doctrina Chriſtiana: quia videlicet in eo,
quod propter ſe diligimus, & quo frui volu-
mus, beatitudo conſtituta eſt. Nec enim alia de
cauſa diligitur propter ſe, vel ad fruendum, ex-
petitur, niſi ut beati ſimus: beatitudo autem
creaturæ rationalis in ſolo Deo ſita eſt; qui ſo-
lus proinde propter ſe amandus, & ad fruendū
C appetendus eſt. *Quod propter ſe diligendum eſt*, in-
quit Auguſtinus, *in eo conſtituitur vita beata.* Et
infra luculentiùs. *Dicimus ea re nos perfrui, quam*
*diligimus propter ſeipſam: & ea re nobis fruendum*
*eſſe tantùm, qua efficimur beati; ceteris vero vtendum.*
Et iterum: *Illa* (res) *quibus fruendum eſt, beatos*
*nos faciunt. Iſtis, quibus utendum eſt, tendentes ad*
*beatitudinem adiuvamur, & quaſi adminiculamur; ut*
*ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire, atq; his in-*
*hærere poſſimus.* Quæ ſanè omnia, & quòd ſolus
ſit per ſe diligendus Deus, & quòd illo ſolo
perfruendū, luculentiſſimè præcepto illo Chri-
ſtianæ religionis capitali, primo, & indiſpen-
ſabilis obligationis, commendata ſunt: *Diliges*
*Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Cujus vim
ineluctabilem explicat Auguſt., quando dicit:
*Cùm ait: toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullā*
*vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, &*
*quaſi locum dare, ut aliâ re frui velit* (nam hoc eſt
frui velle, propter ſe diligere) *ſed quicquid aliud*
D *diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo to-*
*tus dilectionis impetus currit.* Nam & ipſam pro-
ximi dilectionem, qua videbatur aliquid præ-
ter Deum diligi poſſe, *in illam dilectionem Dei*
referendam eſſe declarat, *quæ nullum à ſe rivulum*
*duci extrà patitur, cujus derivatione minuatur.*

*Ibid. c.* — *Lib. ... de doct. c. 33.* — *Lib. ... Ibid. cap. 22.* — *Cap. 33.* — *Cap. 3.* — *Cap. 22.*

Ex hoc

A Ex hoc ergo immobili principio, quod ſine religionis Chriſtianæ ruina cujuſquam diſputatione labefactari nequit, ſequitur manifeſtè, omnem omnino fruitionem creaturæ, non minùs quam dilectionem, eſſe peccatum. Eſt enim contra æternam & indiſpenſabilem legem, quę jubet, ut ſolum Deum propter ſe diligamus (hoc enim hîc vocamus diligere) eoque ſolo conſequenter perfruamur. Neque minùs luculentè ſequitur, omnem uſum creaturæ, qui non refertur in Deum, eſſe peccatum. Si enim non refertur in Deum, neceſſariò vel in creatura ipſa, qua uti videmur, hæret, & ita eſt fruitio; vel ulteriùs in aliam creaturam diſtinctam tendit: quæ ſi ſit ultima, eâ fruimur; ſi non ultima, eo tandem quod erit ultimum fruemur. Hoc eſt enim frui, *rei adeptæ propter ſeipſam amore inhærere.* Neque minùs manifeſtè tertium ſequitur: Deo uti ad aſſequendum
B aliud, eſſe peccatum. Quo enim utimur, id ad aliud referimus: in quid autem aliud referetur Deus, niſi in creaturam, ſive ipſum hominem utentem, ſive aliam, cujus amore detinetur? Quæ ſi ſit ultima, illamque diligit, fieri non poteſt quin illâ frui velit. Hoc eſt enim frui, voluntatem in re propter ipſam non ulterius pergendo *conquieſcere.* Omnia vero iſta tria inordinata & perverſa eſſe, non eſt dubium. Quæ perverſitas in omnibus peccatis reperitur, dum illis frui volumus, quibus utendum eſt; & illis uti, quibus fruendũ eſt. Vnde illa regula vulgatiſſima probatiſſimaq; Auguſt. fluxit: *Nec eſt alia vita hominum vitioſa atq; culpabilis, quàm malè utens, & malè fruens.* Quod clarius tradit in quæſtionibus octoginta tribus: *Omnis humana perverſio eſt, quod etiã vitiũ vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Et rurſus: *Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.*

10. de [...]nit. c. 10.

Qq. 30.

C Hinc igitur oritur, quòd ſæpè culpet Auguſtinus omnem quietem & gaudium animi, quod in creatura ponitur: non enim amor & intentio in ea quieſcere, ſed ſemper in ſupremum impetus dilectionis quemcunque rerum uſum rapere debet. Nam in illud Apoſtoli, *Nolite diligere mundum: non dixit*, inquit Auguſtinus: *Nolite habere, ſed nolite diligere. Habuiſti, poſſediſti, dilexiſti. Amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum. Ecce concupiſti, hæſiſti. Quis dabit tibi pennas ut columbæ? Quando volabis, ubi verè requieſcas, quando hic, ubi malè hæſiſti, perversè requieſcere voluiſti? Nolite diligere mundum, tuba divina eſt.* Nimirum quia, ut alibi dicit, *Non poteſt anima, niſi in eo quod diligit*, & per hoc, quod frui cupit, *requieſcere.* Et in tractatibus in Ioannem: *Modò gaudium noſtrum, fratres mei, in ſpe ſit: nemo gaudeat quaſi in repræſenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de ſpe futura ſit, totum deſiderium vitæ æternæ ſit.* Et in Pſalmos: *Sola interiora* (id eſt, ut exponit, ſapientia & verbum Dei) *diligenda ſunt, ceteris ad neceſſitatem utendum, non ad gaudium perfruendum.*

[Se]rm. 33. de verbis Domini, c. 5.

Serm. 18. de divers. c. 5.

Tract. in Ioannem.

In Pſal. 4.

D Ex iſto igitur capite naſcitur, quòd ſæpiſſimè Auguſtinus vetat, ne beatitudinem ex temporalibus rebus aucupemur. Quicquid enim propter ſe amatur, ut eo velimus frui, in hoc, ut ſuprà audivimus, beatitudo collocatur. *Vt quid diligitis vanitatem, ut quid vultis beati eſſe de infimis. Sola veritas facit beatos: ut quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima extrema ſectamini, quod eſt vanitas & mendacium?* Et in libro de agone Chriſtiano: *Nolite amare temporalia, quia ſi benè amarentur, amaret ea homo quem ſuſcepit Filius Dei &c. Quis beatam vitam eſſe arbitretur in ijs, quæ contemnenda eſſe docuit Filius Dei?* Nam amare ſeu diligere temporalia, non eſt aliud, quàm, ut paulo antè dixit, *ijs ad gaudium*, ſive ad beatitudinem velle *perfrui.* Hinc eſt, quòd inſtantiſſimè ſemper Auguſtinus docet ac monet, ut in uſu rerum temporalium ſemper animus ad ulteriora tranſeat, nec unquam quieſcat niſi perveniat uſque ad Deum. Hoc enim non ſolum jubet diſciplina Chriſtiana, ſed etiam ordo naturalis, quem lex æterna conſtituit. Perturbatur enim apertiſſimè ille ordo, ſi quis medijs velut fine perfruatur, ſi quis in via velut termino hæreat: quod profligatæ ſtultitiæ etiam in rebus infimis judicamus, nedum in illis ſupremis, ubi de tota hominis ſalute contenditur. Audi præclariſſimum Auguſtini locum, quo pleniſſimè doceberis, hærere in quacunque creatura non tantum imperfectionem eſſe, ut molliculi, & Chriſtianæ perfectionis, imo conditionis rationalis naturæ non ſatis gnari infirmitati blandiendo pollicentur, ſed eſſe vitioſum, & corrigendum. *Quid eſt finis? Chriſtus, quia Chriſtus Deus, & finis præcepti charitas; & Deus charitas, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unum ſunt. Ibi tibi finis eſt & alibi via eſt. Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quicquid aliud veneris, tranſi uſquequò pervenias ad finem. Quid eſt finis? Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Adhæſiſti Deo, finiſti viam, permanebis in Patria.* Exemplum quæris, quo accuratius res tota capiatur? Accipe primum de pecunijs, hoc eſt de omnibus medijs ad ſalutem corporis neceſſarijs, ne in illis conquirendis hæreas: *Intendite. Pecuniam aliquis quærit? Non ſit ibi finis: tranſi tanquam peregrinus. Quære ubi tranſeas, non ubi remaneas. Si autem amas, per avaritiam implicatus es. Erit tibi avaritia catena pedum, ultra progredi non potes; tranſi ergo & hoc, quære finem.* Accipe ſecundum, ne in ſalute corporis hæreas, propter quam pecuniæ quæri ſolent: *Salutem corporis quæris? Adhuc noli ibi remanere. Quæ eſt enim iſta ſalus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritudine debilitatur, frivola, mortalis, fluxa? Quære illam, ne impediat fortè morbida valetudo opera tua bona. Ergo non eſt ibi finis; quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæritur, non eſt ibi finis. Quicquid propter ſe, & gratis quæritur, ibi eſt finis.* Accipe tertium, ne in honoribus hæreas: *Quæris honores, fortè ad aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut placeas Deo. Noli ipſum honorem amare, ne ibi remaneas.* Accipe quartũ, ne in laudibus hæreas: *Quæris laudẽ? Si Dei quæris, benè facis: ſi tuam quæris, malè facis. Remanes in via. Sed amaris & tu, laudaris & tu, noli gratulari, quando in te laudaris; laudare in Domino, ut cantes: in Domino laudabitur anima mea. Ser-*

Ibid.

Lib. de agone Chriſt. c. 11.

Tract. 10. in Epiſt. Ioannis.

*monem aliquem bonum dicis, & laudatur ſermo tuus, non laudetur quaſi tuus, non eſt ibi finis: ſi ibi ponis finem, finiris: ſed non finiris, quaſi perſiciaris, ſed finiris ut conſumaris. Ergo non laudetur ſermo tuus, quaſi abs te, vel quaſi tuus. Sed quomodo laudetur? Quomodo dicit Pſalmus: In domino laudabo ſermonem &c. ergo tranſi & ipſam. Videte, fratres, quanta tranſivimus, in quibus non eſt finis. His utimur, quaſi in via; quaſi in manſionibus ſtabulorum reficimus, & tranſimus. Vbi ergo finis? Dilectiſſimi filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Non potuit exactiùs & palpabiliùs nobis exponere, quo modo in quibuſcunque creaturis hærere vitioſum ſit, quàm ſingulas percurrendo, in quibus homines hærere ſolent, & ſine peccato ſe eſſe arbitrantur. Hinc de medijs ad proprium uniuſcujuſque finem referendis, & ipſâ vitâ tandem in Deum dirigendâ, luculentè alibi tradit; ubi cùm præmiſiſſet, omnē humanam perverſionem eſſe, quod etjam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui, fruendam verò intelligibilem pulchritudinem, per quam ipſe pulchritudinem æternæ ſapientiæ aut incommutabilis veritatis ſolet intelligere, de rebus utendis & ad fines ſuos tandemque in ultimum retorquendis ita loquitur:

Lib. 83. qq. q. 30.

*Vtile quicquid eſt, utendo eſt utile, ita nemo utitur niſi utili. Non ergò utitur quiſquis malè utitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, utitur primò ſeipſâ ad intelligendum Deum, ut eo fruatur, à quo etiam facta eſt. Vtitur autem cæteris rationalibus animantibus ad ſocietatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam ſuam ad id refert, ut fruatur Deo: ita enim beata eſt. Ergò & ipſâ utitur; quæ profectò inchoat miſeriam per ſuperbiam, ſi ad ſeipſam, non ad Deum referatur. Vtitur etiam corporibus quibuſdam vivificandis ad beneficentiam; ſic enim utitur ſuo corpore, quibuſdam aſſumendis vel reſpuendis ad valetudinem; quibuſdam tolerandis ad patientiam, quibuſdam ordinandis ad iuſtitiam, quibuſdam conſiderandis ad aliquod veritatis documentum. Vtitur etiam ijs, à quibus ſe abſtinet, ad temperantiam. Ita omnibus & ſenſis & non ſenſis utitur, nec aliquid tertium eſt. Iudicat autem de omnibus quibus utitur; de ſolo Deo non iudicat, quia ſecundùm Deum de cæteris iudicat; nec eo utitur, ſed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus eſt: quoniam omne quod ad aliud referendum eſt, inferius eſt, quam id ad quod referendum eſt.* Porrò nequis putaret, hunc ordinem utendi medijs ad ſuum quibuſque finem, ſine labe conſcientiæ prætermitti poſſe, quamquam & in ſuperioribus allegatis locis contrarium ſatis indicaverit, apertiſſimè alibi dicit:

Lib. de bono coniugali c. 9

*His bonis, quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc propter quod inſtituta ſunt, utitur, peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabiliter; Quiſquis verò eis propter hoc utitur propter quod data ſunt, benè facit.* Sub illis autem bonis doctrinam, cibum, potum, ſomnum, conjugium, concubitum, & ſimilia expreſsè numeraverat. Et nequis fortaſſe ſuſpicaretur, ſatis eſſe, ſiquis propter proximos fines quibuſque bonis uteretur, longè generaliùs alibi dicit, ubi rem iſtam ex profeſſo docet.

Lib. 4. cont. Iul. c. 3.

*Officium autē eſt, quod faciendum eſt: Finis verò, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Hunc autem finem eſſe ipſum Deum, ſtatim adijcit; cui virtutes tam in hominibus, quàm in Angelis ſerviunt à quo Angelis donantur & hominibus:

Ibid.

*Cùm enim non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur iniuſti.* Vnde ejuſdem principij ſui generaliſſimi filum ſequens, juxta quod in nulla creatura hæreri poteſt, ſed omnium omninò uſus in Deum retorquendus eſt, utpote veriſſimum & unicum hominis & rerum omnium finem, propter quem Deus ipſemet cuncta condidit, generaliſſimè & clariſſimè ita loquitur:

Ibid.

*Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit* (id eſt, Deum verum, ſicut præmiſerat) *etſi officio videatur bonum, ipſo* NON RECTO FINE PECCATVM EST. Itaque & alibi peccatum vocat *non ſolùm illud quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus: ſed etiamſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat* (id eſt, intuitu cujuſcunque boni temporalis) *non propter requiem ſempiternam.* Quanto magis peccatum eſt, ſi non habeat ſpeciem boni operis, ſed carnalis, quo ſimpliciter in amore cujuſquam boni temporalis conquieſcit, non ut benè vel in ſpeciem operetur, ſed tantummodo ut aliquâ rei creatæ delectatione perfruatur? Et ut omnis omninò tergiverſatio tolleretur, qua quis hujuſmodi actus vel indifferentes vel imperfectos eſſe ſuſpicari poſſet, & non tales, quibus conſcientia læderetur, contra Fauſtum Manichæum diſputans & de peccatis, & benefactis, ac de creatarum rerum uſu & abuſu ex profeſſo tractans, doctrinali auctoritate definit:

Lib. … cont. Fauſt.

*In omnibus quæ humana infirmitas horret, aut timet, ſola iniquitas iure damnatur: cætera ſunt vel tributa naturarum vel merita culparum.* Vnde igitur illa merita culparum, illa iniquitas, quæ ſola in hominibus jure damnatur? Audi Auguſtinum in eodem loco:

Ibid.

*Fit autem homo iniquus, cùm propter ſeipſas diligit res propter aliud aſſumendas, & propter aliud appetit res propter ſeipſas diligendas. Sic enim, quantùm in ipſo eſt, perturbat in ſe ordinem naturalem, quem lex æterna conſervari iubet. Fit autem homo iuſtus, cùm ob aliud non appetit rebus uti, niſi propter quod divinitus inſtitutæ ſunt: Ipſo autem Deo frui propter ipſum, ſeque & amico* (id eſt, proximo) *in ipſo Deo propter eundem ipſum Deum. Propter Deum enim amat amicum, qui Dei amorem amat in amico.* Ecce quod alibi ſæpiùs inordinationem vocaverat, & perverſitatem, utendis velle frui & fruendis uti, hîc nominat meritum culpæ & iniquitatem, quæ jure damnatur, propter ſe-ipſas diligere res propter aliud aſſumendas, & è contrario, propter aliud appetere res propter ſe-ipſas diligendas: aperteque declarat, in eo juſtitiam eſſe ſitam, hoc eſt bonum opus, cùm rebus non appetimus uti, niſi propter quod divinitus inſtitutæ ſunt. Hoc non eſt aliud, niſi id quod propter ſeipſum diligendum

A B C D

dum & fruendum eſt. Et hoc ipſum declarat, & in ſuperioribus crebrò declaravit, eſſe Deum quo fruendum eſt propter ipſum: *Quod enim propter ſe diligitur, in eo conſtituitur vita beata: ea re fruendum eſt qua efficimur beati; cæteris verò omnibus utendum.* Nam iſtis, *quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adiuvamur ut ad illas, quæ nos beatos faciunt* (id eſt, ad Deum) *pervenire, atque his inhærere poſſimus.* Sub quo genere totus creaturarum ordo comprehenditur. Qua A de cauſa ex ejuſdem legis immutabilis & æternæ præſcripto, *qua ordinem naturalem conſervari iubet, perturbari vetat*, quæque niſi faciendo, dicendo, concupiſcendo violetur, nullum peccatum eſt, & ſi violetur, ſine excuſatione peccatur, fidentiſſimè clamat, inculcatque Auguſtinus: *Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus*, nempe quibuſcunque, *& eum mundatum ad æterna convertere.* *Lib. 22. contra Fauſt. c. 27.*

# CAPVT XVII.

## Iuſti in peccatis venialibus fruuntur, non utuntur creaturâ.

QVIS jam ſobriæ voluptatis & caſtiſſimæ veritatis amator audeat dicere, non eſſe peccata ſolius, voluptatis cauſâ cum uxore concumbere, ſenſus externos ſaporibus delicatis, gratis odoribus, harmonicis concentibus, ridentibus coloribus, & artificijs, ſolius voluptatis appetitione mulcere? laudibus, honoribus, gloriæ dignitatumque ſplendoribus quantumcunque exiguis propter ipſa delectari? Pecunias, hoc eſt, quæcunque commoda terrena propter ipſa diligere, prædiolis, hortulis, ſtructuris, piſcationibus, venationibus, & hujuſmodi infinitis, quaſi innocentibus quarumcunque temporalium rerum voluptatibus, quibus humana vita etiam juſtorum velut in lectulo requieſcit, incumbere, non propter aliud, quàm quia infirmis animis delectabiles ſunt? In omnibus enim iſtis, quæ recenſere longum eſt, ordo naturalis perturbatur, quem lex æterna conſer- B vari jubet, perturbari vetat; dum rebus, quas diligunt, propter aliud aſſumendis propter ipſas frui volunt: atque in via tanquam per ſeipſam delectante hærent, qui per illam non niſi in patriam deberent tendere. An fortè non eſt hoc utendis frui? Non eſt hoc actionis finem conſtituere, dum nihil niſi actio, quæ infirmos nos delectat, intenditur? Iſtud enim hîc ſupponimus. Quid verò vel pecudes aliud, ſi loqui poſſent, vocarent frui, quàm cum uxore ſeu femella voluptatis tantùm cauſâ inire concubitum? Et quid aliud finem voluntatis actionem conſtituere, quàm nihil præter actionem, ſeu voluptatem ejus quærere? Si enim aliud concumbendo quærit, jam concubitus non eſt finis, nec illum diligit, ſed aliud per illum aſſequendum diligit. Itaque quamvis finis ultimus totius hominis alius eſſe poſſit, quàm concubitus, & plerumque ſit; finis tamen iſtius ſingularis voluntatis tantùm con- C cumbendi non eſt alius, quàm concumbere, ſeu concumbendi voluptate frui; ut ſic generalis iſta voluntas, qua quiſque vult beatè vivere, iſtâ voluntate aliqua ex parte compleatur. Quod ita manifeſtè S. Auguſtinus docet, quaſi hoc probandum ex profeſſo ſuſcepiſſet. Nam de voluntate videndi diſputans, quæ viſionem poteſt vel ad aliud referre, ut ſit me- A dium, ſeu finis medius, vel in ea quieſcere, ut ſit tantùm finis, ita loquitur: *Non itaque omnino ipſa voluntas hominis, cuius finis non eſt niſi beatitudo, ſed ad hoc unum interim, ſcilicet ſubiectum, voluntas videndi finem non habet niſi viſionem, ſive id referat ad aliud, ſive non referat. Si enim non refert ad aliud viſionem, ſed tantùm voluit ut videret, non eſt diſputandum, quomodo oſtendatur finem voluntatis eſſe viſionem, manifeſtum eſt enim. Si autem refert ad aliud, vult utique aliud, nec iam videndi voluntas erit.* *Lib. 11. de Trinit. c. 6.* Nimirum quia hoc dicimur velle, ſeu diligere, quod intendimus; non id ſine quo non poſſumus aſſequi quod intendimus; hoc enim, ſicut amara medicina, ab invitis ſæpè ſuſcipi debet. Quod ſi hoc de viſione, quæ non ad aliud refertur, ita manifeſtum eſt Auguſtini, imo cujuſlibet ſanæ mentis judicio, ut neque diſputari debeat, profectò etiam de concubitu voluptatis dumtaxat cauſâ inito B manifeſtum eſt. Et ſi de illo perſpicuum eſt, non aliud eſſe finem ejus niſi voluptatem, qua ex aliqua parte beari cupit, profectò de omnibus omnino ſimilibus uſitatis etiam juſtorum hominum delectationibus quaſi innocentibus, quas paulo antè & ſuperiùs ex Auguſtino recenſuimus, perſpicuum eſt, non alium eorum eſſe finem, quàm in illis terrenis & quaſi innoxijs voluptatibus requieſcere, & in eis quieſcendo, frui. Si enim propter aliud hujuſmodi operationes appetunt, jam extra limites hypotheſis noſtræ ſunt.

Hæc ergo ratio eſt, cur Auguſtinus, quando etiam à juſtis in temporalibus quibuſvis bonis aut delectationibus finem collocari aut quieſcere, aut illis bonis frui vetat, plerumque ſolet inculcare, ut ab illis bonis ulteriùs in Deum animus tranſeat. Nimirum ut lector intelligeret, tunc ſe frui, tunc in terrenis conquieſcere, tunc ut finem illa concupiſcere, tunc C cupiditate peccare, cùm eis ita inhæret animus, ut non per illa tranſeat ad diligendum Deum. De quo initio nonnulla teſtimonia producta ſunt. Hunc enim tranſitum velut fruitioni prorſus repugnantem commendat in libris de Trinitate; ubi cum dixiſſet, *non eſſe conſtituendum finem in bonis talibus*, nec in ea *detorqueamus beatitudinem* id eſt, fruitionis *appetitum*, ſtatim adijcit ejus oppoſitum: *ſed ut quic-* *Lib. 12. de Trini. c. 13.*

 *quid*

*quid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum contemplatione faciamus, per ipſa tranſeuntes, illis inhærentes.* Et in alio libro de Trinitate: *Verbum amore concipitur, ſive creaturæ ſive creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non ſit amanda creatura: ſed ſi ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas; ſed charitas erit.* Ex quo infallibili conſecutione ſequitur, cùm amor ille non refertur ad creatorem, neceſſariò manere cupiditatem, hoc eſt, vitioſam & culpabilem fruendi cupidinem. Neceſſe eſt enim, ſi non refertur amor iſte ad creatorem, creaturam amari propter ſe: qua de cauſa ſubjicit: *Tunc enim eſt cupiditas, cùm propter ſe amatur creatura, tunc non utentem adjuvat, ſed corrumpit fruentem.* Et in libro undecimo de Trinitate. *Anima rationalis deformiter vivit, cum ſecundum Trinitatem exterioris hominis vivit, id eſt, cùm ad ea quæ forinſecus ſenſum corporis formant non laudabilem voluntatem, quæ hæc ad utile aliquid referat, ſed turpem cupiditatem, quâ his inhæreſcat, accommodat.* Et paulò inferiùs eundem tranſitum in ſuperna, urget ut neceſſarium. *Niſi pars maxima voluntatis in ſuperioribus atque interioribus habitet: eaque ipſa* (voluntas) *quæ commodatur ſive foris corporibus ſive intus imaginibus eorum, niſi quicquid in eis capit ad meliorem verioremque vitam referat, atque in eo fine, cujus intuitu hæc agenda judicat, acquieſcat, quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet, dicens: Nolite conformari huic ſeculo.* Ecce neque cogitatio in rebus cogitandis hærere poteſt, niſi ad veriorem æternamque vitam referatur, juxta præceptum Apoſtolicum; quanto minùs amor, & externa actio. Et in libro decimo quinto de Trinitate: *Ad quam ſummam Trinitatem videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, eâ delectetur, totum debet referre quod vivit.* Hunc tranſitum & in libris Confeſſionum prædicat: *Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent tu ei diſpliceas.* Hunc commendat & in Pſalmos: *Ama*, inquit, *& hæc, ſed plus illum ama, & hæc propter illum ama.* Sed omnium elegantiſſimè tranſitus iſte à creaturis commendatur, & fruitio earum prohibetur, totuſque ſtatus animi, qualis erga res omnes propter hominem creatas eſſe debet, pulcherrimâ brevitate depingitur in meditationibus: qui locus ab omnibus caſti amoris dilectoribus medullis animi inſculpi mereretur: *Si autem iſta diligis, ut ſubjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham ſponſi, ut munera amici, & beneficia Domini: ſic tamen ut memineris ſemper, quia illi debeas, nec iſta propter ſe, ſed iſta propter illum, nec iſta cum illo, ſed iſta propter illum, & per iſta illum, & ſuper iſta illum diligas.* Ecce quid anima rationalis debeat Deo; Ecce, quid ſit quieſcere; Ecce, quid ſit hærere, quid tranſire à creaturis in Deum; Ecce, quid ſit frui creaturâ, vel creatore. Qua de cauſa Auguſtinus pro iſta dilectione creaturæ, quæ non hæret, ſed tranſit in creatorem ejus proprium, ut ſuprà diximus vocabulum excogitavit, ut eam vocaret, *dilectionem tranſitoriam tanquam viæ*; alteram verò, quæ fruendo inhæret creaturis, *dilectionem manſoriam.* Cujus differentiæ conſideratione facilè eſt unicuique purgatiſſimæ charitatis amatori, animum ſuum erga creaturas occupatum explorare, utrum hæreat, an tranſeat; utrum per illas in Deum evolet, an viſcum aliquod cupiditatis pennis adhæreat; utrum utatur, an fruatur.

*Lib. 9. de Trinit. c. 7. & 8.* — *Lib. 11. de Trinit. c. 2.* — *Cap. 5.* — *Lib. 15. cap. 20.* — *Lib. 4. Confeſſ. c. 11* — *In Pſal. 144* — *Lib. 1. de doct. Chr. cap. 35.*

Nec verò miretur aliquis, quòd animum etjam juſtorum in rebus iſtis levioribus velut fine poſſe requieſcere, nec tamen mortaliter peccare ſtatuamus. Quod enim apud multos Theologos uſitatè & quaſi ſolemniter dicitur, tunc peccari mortaliter, quando conſtituitur in rebus creatis finis; vel juxta divi Auguſtini principia jam declarata planiſſimè negari, vel alio modo explicari debet. Quis enim negare poteſt, peccatorum illorum venialium, quæ intrinſecè mala ſunt, nec ad aliud omninò bonum relata, imò nec referri nata, ſolâ pravæ illius voluptatis libidine committuntur, finem ultimum non eſſe Deum? Si non eſt Deus, ergò creatura. Et quæ alia, niſi ipſa voluptas, quæ peccando quæritur? Ergò in ea finis conſtituitur, neque tamen propterea mortale peccatum ſit. Quis enim dixerit, ſive juſtum, ſive peccatorem, ſive etjam infidelem, cui ignotus Deus, ſi in re leviſſima mentiatur, inaniter garriat; pauca pira cum Auguſtino furetur, idcircò læthiferi peccati fore reum, ſi non in Deum referat velut ultimum finem, ſed in ipſa ſola & nuda mentiendi leviter, inaniter garriendi, & furandi voluptate remoretur? Quod in ſimilibus omnibus peccatis levioribus infidelium, & aliorum gravium peccatorum, quibus nulla de Deo eſt cogitatio, locum habet. Nemo enim iſtorum in peccando venialiter finem ultimum ſibi ponit Deum; ſed vel peccatum ipſum, vel aliud creatum bonum: & quamvis Deum ſibi finem actionis conſtitueret, perinde gratum faceret Deo, ac ſi mactaret filium in conſpectu patris. Quòd ſi ergò Theologi iſti volunt, tunc ſemper peccari mortaliter, quandocunque finis ultimus actionis alicujus, ultra quem non tranſit animus, eſt creatura; regula fallaciſſima eſt, & innumeris exemplis falſa probari poteſt. Sed intelligi debent, tunc eſſe peccatum mortale, cùm finis non tantùm actionis, ſed ipſius hominis eſt creatura; cujus videlicet animus ita erga creaturam intentam affectus eſt, ut eam etjam Deo vetanti præferat. Nam quantumvis voluptas licita ſit, & ſine peccato admitti poſſit, ſi tamen ita diligatur, ut cupiditati ſuæ imperanti, quàm Deo vetanti homo parere malit, mortale peccatum ſine dubio perpetrabitur. Quod tamen non inde provenit, quòd illius actionis voluptas finis ſit, vel quod voluptas tanquam finis actionis appetatur ac diligatur; ſed quòd ex dilectionis magnitudine ipſi Deo præferatur. Nam ſive multùm ſive parū voluptas actionis diligatur, modus eam ſolam & unicam appetendi, vel ad alium ulteriùs finem referēdi prorſus idem eſt,

*Lib. 1. d… Civit. c.…* — *Lib. de … Relig. c.…*

quamvis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quamvis animus appetentis non ſit idem. Vnus quippe in eo finem quidē iſtius actionis ponit, ſed Deo magis dilecto poſtponit, uſque adeò ut ſi Deo graviter diſplicere judicaret, ſtatim actum & voluptatem abrumperet: alter verò in eo finem ſimiliter quidem ponit, ſed Deo minùs dilecto vel omninò non dilecto præponit. Hoc eſt, fervor diligendi ſive Deum ſive creaturam diverſus eſt; modus diligendi & in eam ferendi non eſt diverſus: ſeu, ut Recentiores impropriâ & excogitatâ phraſi loqui malunt, habitu utitur creaturâ propter Deum, non actu. Quòd ſi non utitur actu, quid ergò dicendum eſt actu facere, niſi frui, cùm inter uti & frui in homine deliberatè operante, inter referre aliò & non referre, non detur medium? Quę quidem phraſis ſinę dubio idcircò ab eis inventa eſt, ne peccantem venialiter creaturâ frui fateantur. Quaſi verò habitu, non actibus dicendi ſimus uti vel frui; vel B iſta duo ex habituali animi conſtitutione, quæ nihil in actum hîc & nunc elicitum influit, & non ex actuali voluntatis intentione, hoc eſt, hæſione vel tranſitione pendeant. Quicunque enim rei creatæ diligendo ſic inhæret, ut eam tamen aliò referat, ſecundùm fundatiſſimam, & ut clamat aperta ratio, veriſſimamq; Auguſtini doctrinam, utitur, non fruitur: ſin ad nihil aliud ſpectat animus quod ejus miniſterio aſſequi cupiat, fruitur non utitur, quicunque tandem fuerit diligentis vel utentis animus. Ille quippe efficere poterit, ut utendo vel fruendo mortaliter vel venialiter peccet, dum eam præponit vel poſtponit Deo; non tamen, ut actu illis modis minùs propriè fruatur vel utatur.

Hinc eſt igitur, quòd Auguſtinus conſtantiſſimè ſemper doceat, etjam juſtiſſimos homines quibuſdam rerum creatarum amoribus ſeu cupiditatibus eſſe devinctos, quarum abla- C tione cruciantur. Amor autem apud Auguſtinum eſſentialiter fruitionem reſpicit, cùm non ſit aliud amor, ut jam ſuprà crebrò repetitum eſt, quàm *voluntas fruendum aliquid appetens vel tenens*: nec frui aliud, quàm *amore alicui rei inhærere propter ſeipſam*. Ex quo fit, ut magnitudinem & parvitatem amoris, quo etjam juſti creatis rebus inhærent ut eis perfruantur, ſemper ex carendi facilitate vel difficultate metiatur. Voluntas enim utendi non animos aſtringit rebus utendis, ſed fruendis: his enim per amorem inhæremus, illis ſine amore earum utimur, ut ad amatas delicias pertingamus. De juſtis enim loquitur quando dicit: *Infirmiores qui terrenis his bonis, quamvis ea non præponerent Chriſto, aliquantulâ tamen cupiditate cohærebant, quantùm hæc amando peccaverunt, perdendo ſenſerunt. Tantùm quippe doluerunt, quantùm ſe doloribus miſcuerunt.* De juſto loquitur, quando dicit: *Vir ſanctus temporalia* D *non diligit* (id eſt, non diligere debet) *ſed rectè utitur* &c. *Plerumque cùm adſunt nobis, putamus quòd ea non diligamus; ſed cùm abeſſe cœperunt, invenimus qui ſimus. Hoc enim ſine amore aderat, quod ſine dolore diſceſſit.* De juſto loquitur, quando

*Lib. 1. de Civit. c. 9.*

*Lib. de vera Relig. c. 47.*

A loco amoris, qui fruitionis verus & unicus fons eſt, ipſam fruitionem creaturæ juſtæ apertè tribuendo dicit: *Ac per hoc ei qui ædificavit erit ædificatio iſta damnoſa; quia non habebit quod ſuperædificavit, & eorum amiſſione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur: ſed per hunc ignem ſalvus erit* &c. De juſto loquitur, quando paulò antè amorem terrenorum fruitionemque conjungens dicit: *Si enim ei* (Chriſto) *nihil talis affectionis* (amoris carnalis) *voluptatiſque præponat, quamvis ſuperædificet lignum, fœnum, ſtipulam. Chriſtus eſt fundamentum.* Cujuſmodi ſententijs Auguſtinus plenus eſt. Nam ubique cupiditatem ſeu amorem rerum quarumdam temporalium, quo non propter Deum, ſed propter ipſas diliguntur, & fruitionem propriiſſimè dictam, utpote quam eſſentialiter amor reſpicit, etjam juſtis tribuit; cujus vinculi diruptione cruciantur, uruntur, purganturque à peccatis venialibus, quæ diligendo creaturas, fruendoque commiſſa ſunt; ut ita per ignem ſalvi fiant. Qua de re [a] liber de Civitate Dei, [b] Enchyridion ad Laurentium, [c] Commentarius in Pſalmos, & [d] alia multa loca conſuli poſſunt. Et in omnibus iſtis locis & alijs plurimis, ſemper inter juſtorum impiorumque cupiditates quibus diligunt temporalia, & ijs frui appetunt, illam differentiam ſtatuit, quòd quamvis utrique res frivolas diligant, illi magis diligant Chriſtum; iſti minùs: illi Chriſtum tanquam fundamentum ædificationis præponunt temporalibus; iſti temporalia fundamento: unde illi per ignem ſalvi fiunt; iſti pereunt. Nunquam autem vel in mentem Auguſtino venit, quantùm ex ſcriptis colligi poteſt, quòd impij frui temporalibus dicendi ſint, juſti dumtaxat uti ſimilibus rebus, quarum amore vinciuntur. Sed & verba ipſius paſſim repetita, & omnia principia ejus, & ratio, & natura amoris, quæ eſſentialiter gaudium ſive fruitionem ſicut motus terminum & quietem reſpicit, contrarium clamant.

*Ibid.*

*Ibid.*

*a Lib. 1. de Civit. c. 9. & 21. c. 26*
*b Enchyr. cap. 68.*
*c Expoſ. 2. in Pſal. 29. & in Pſal. 80*
*d Serm. 121 de diverſ. cap. 9. &c.*

Hinc eſt quòd Auguſt. eodē illo loco, ubi ex profeſſo fruendi, & utendi definitionem, quam ſuprà prompſimus, tradit & hominem inter res utendas & fruendas (id eſt, inter Deum atque creaturas temporales) veluti medium à Deo conſtitutum eſſe declarat, apertiſſimè dicit hominem fruendo rebus utendis aliquando deflecti à curſu in patriam atque revocari, aliquando tantum impediri ac retardari; quorum illud impijs atque ſceleratis, hoc juſtis competit: *Nos qui fruimur & utimur inter utraſque conſtituti, ſi eis quibus utendum eſt frui voluerimus,* IMPEDITVR *curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.* Vbi utriſque quidem fruitionem tribuit, ſed iſtam apertiſſimam diffe- D rentiam inter fruitionem juſtorum & ſceleratorum ſtatuit, inter peccata fruendi venialia atque lethalia; quod juſtos fruitio temporalium ab itinere, quo in patriam tenditur, impediat atque remoretur; impios verò deflectat

*Lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 3.*

ac revo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ac revocet. Quapropter ut qualis eſſet fruitio juſtorum, qua fruuntur temporalibus, quæ ad ſubſidium itineris data ſunt, quivis vel imperitiſſimus intelligeret, nec ſibi imaginaretur, eos tantum frui qui Deum deſerunt, & omnem ſpem patriæ conſequendæ abijciunt, pulcherrimam comparationem ex itinerantibus profert: *Quomodo ergò ſi eſſemus peregrini, qui beatè vivere niſi in patria non poſſemus, eáque peregrinatione utique miſeri & miſeriam finire cupientes in patriam redire vellemus, opus eſſet vel terreſtribus vel marinis vehiculis quibus utendum eſſet, ut ad patriam qua fruendum eſt pervenire valeremus: quòd ſi amœnitas itineris & ipſa geſtatio vehiculorum nos delectaret, converſi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, & perverſa ſuavitate implicati alienaremur à patria, cujus ſuavitas faceret beatos: ſic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino, ſi redire in patriam velimus, ubi beati eſſe poſſimus, utendum eſt hoc mundo, non fruendum &c.* Quæ comparatio pro juſtis propriè data eſt. Illi ſunt enim propriè, qui vehiculis tanquam ſubſidijs à Deo datis, id eſt, rebus licitis; impij verò rebus illicitis atque vetitis delectantur: illi amoribus aliquibus mitioribus implicati, *citò finire* viam nolunt; iſti nunquam volunt. Sed hæc de fruitione juſtorum ſatis ſint, quæ paulò prolixiùs tractanda videbantur, ut Lector intelligeret, quid ſit frui rebus temporalibus ſeu creaturis, neque fruitionem amoremque ſic à juſtis alienaret, ut quantumcunque carnis aut oculorum aut ſuperbiæ voluptatibus diffluant, non illos frui rebus, ſed uti putet. Vt denique ſciret, quis ſtatus animi erga creaturas nobis ſacrarum Scripturarum & ſublimiſſimi Auguſtini auctoritate cómendetur. Qua in re qui hallucinatus fuerit in innumeros vitæ errores, qui malè utendo fruendoque committuntur, neceſſariò pertrahetur. Non tam dura eſt hæc doctrina, quàm perfecta; nec ejus veritas implentis infirmitate, ſed jubentis auctoritate, æternæque legis æquitate metienda eſt. Nunc breviter aliquid de ceteris animi affectibus in creaturas exercendis vel comprimendis adijciamus.

*Lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4.*

## CAPVT XVIII.

### Reliqui affectus animæ circa creaturam cujuſmodi ſint, & eſſe debeant.

SI enim vera ſunt quæ de amore diximus, facilis eſt de ceteris affectibus reſolutio. Amor eſt enim velut cardo ceterorum affectuum, à quo omnes ita pendent, ut ſine illo eſſe non poſſint. Quis enim deſideret quod non amat? Quis de rebus niſi amatis gaudeat? Quis oderit niſi quod rebus amatis adverſatur? Quis malum niſi rebus amatis metuat? Quod in ſingulis affectibus ſimiliter oſtendi poteſt, ſicut Auguſtinus in libro octoginta trium quæſtionum quæſtione trigeſima tertia declarat. Nam uti fons abſconditus per diverſas venas pro terræ conditione erumpere ſolet, ita & amor pro diverſa rei amatæ conditione, diverſos animi motus parturit, & varios vultus induit. Omninò enim pro varietate rerum quæ diliguntur ſicut amor allicitur, vel offenditur aut periclitatur; ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur. Ex quo fit, ut Auguſtinus hos ipſos diverſos motus ſubinde nihil aliud eſſe definiat, quàm amorem qui diverſis perturbetur modis. *Amor*, inquit, *inhians habere quod amatur, cupiditas eſt*: (hoc eſt, deſiderium) *id autem habens eoque fruens, lætitia: fugiens quod ei adverſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt.* Ad quem modum ſimilis omnium affectuum deſcriptio excogitari poteſt. Amor erectus ad aſſequendum quod amatur, ſpes eſt: dejectus ab aſſequendo, deſperatio: abominans malum quod ſibi adverſatur, odium eſt: inſurgens ad repellendum, ira. Cujuſmodi definitiones ſi in ſenſu formali fortaſſe non ſint veræ, in ſenſu cauſali ſunt veriſſimæ. Evidenter enim declarant, non poſſe motus illos niſi ab amore proficiſci. Quemadmodum igitur corrupto fonte neceſſe eſt aquas ex eo vitiatas fluere; ita ſi amor vitioſus eſt, motus omnes ab eo prodeuntes vitiari neceſſarium eſt. Habet enim reſpectu motuum illorum quandam cum intentione ſimilitudinem; quæ ſi perverſa fuerit, quicquid ex ea naſcitur & ſuſcipitur vitium trahit: Vnde Auguſtinus cùm cupiditatem, lætitiam, timorem, ac triſtitiam amoris eſſe docuiſſet, ſtatim adijcit: *Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus.* Fieri enim non poteſt, ut qui malè amaverit, benè ex illo amore cupiat, benè ſperet id quod amat, eoque benè fruatur: bene oderit vi amoris illius oppoſitum malum, vel benè iraſcatur, & ſic de ceteris.

*Lib. 14. de Civit. c. 7.*

Ex his ergò manifeſtum eſt, non ſolùm amorem ac lætitiam ſive fruitionem, ſed omnes etjam ceteros affectus animi, qui ex amore rei temporalis emanant, eſſe vitioſos. Inficiuntur enim ab amore vitiato, ex quo fluunt. Ex quo neceſſe eſt, ut cujus amor tranſitorijs rebus affixus & illigatus eſt, illas & abſentes cupiendo, ſperando, ac deſperando, & præſentes perfruendo, & malum oppoſitum odiendo, & fugiendo, & per iræ motus repellendo, & ſe per juſtitiam affligendo delinquat. Amor enim ille vitioſus in omnibus illis motibus dominatur: qui ſicuti peccabat rem temporalem amando, cupiendo, fruendoque; ita peccat quibuſvis alijs motibus ſe juvando.

Ex iſto igitur fonte naſcitur, quòd Apo-

ſtolus

ſtolus de triſtitia dicit: *Seculi triſtitia mortem operatur*; nimirum quia ſeculi amor mortem operatur: & ſimili omninò modo dicere potuiſſet: ſeculi gaudium, ſeculi ſpes &c. mortem operatur. Hinc Auguſtinus: *Nequitia eſt mundum iſtum diligere & ea quæ naſcuntur & tranſeunt pro magno habere, & ea concupiſcere, & pro his laborare ut acquirantur, & lætari cùm abundaverint, & timere ne pereant, & contriſtari cùm pereunt*, & ijs iraſci, quorum operâ pereunt. Quapropter quicunque motus illos correctos & rectos habere volet, amorem corrigat neceſſe eſt. Nam ubicumque amor rei alicujus temporalis extinctus fuerit, ibi continuò & abſentis cupiditas, & præſentis lætitia, & periclitantis metus, & amiſſæ triſtitia, & ſpes, & ira, & ceteræ perturbationes, quas amor ejus parturit, extinguentur. Et quia plerumque amor, niſi multum ferveat, & ipsâ flammæ & fumi magnitudine ſeſe prodat, in viſceribus animi, & neſcio quibus anfractibus occultiſſimus latet, ut oculos hominis ſemetipſum curioſiſſimè explorantis ſubterfugiat; ad alios affectus oculi convertendi ſunt, qui tanquam notiores, magiſque ſenſu perceptibiles & minùs vafri, ſimpliciùs ac ſinceriùs clamare ſolent, ex qua radice pullulent. Ita quemadmodum ſurſum aſcendendo ex rivo fontem deprehendimus; ſic ex alijs animi perturbationibus amorem, unde naſcuntur. Et hoc eſt, quòd Auguſtinus dicit: *Plerumque cùm adſunt nobis temporalia, putamus quod non ea diligamus: ſed cum abeſſe cœperint, invenimus qui ſimus; hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore noſtro diſcedit.* Ita dolor amiſſi boni eſt teſtis amati. Quod ſimili omninò conſideratione de ceteris quoque affectibus dici poteſt. Non enim ſentimus, ſine quibus rebus eſſe aut æquò animo aut ægrè poſſimus, niſi cùm vel abfuerint, vel jam poſſeſſa auferuntur, vel periclitantur, vel obtineri nequeunt. Tunc enim amor non amplius ſeipſum diſſimulare poteſt: tunc erumpit in cupiditatem, in triſtitiam, in metum, & ſimiles pro circumſtantiarum diverſitate motus. Vnde Auguſtinus de amoris explorandi modo diſſerens; *A voluptatibus carnis*, inquit, *& à curioſitate ſupervacanea cognoſcendi, video quantum aſſecutus ſim poſſe refrenare animum meum, cùm eis rebus careo, vel voluntate cùm abſunt, vel neceſſitate cum deſunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minuſve mihi moleſtum ſit non habere.* Fieri enim nullo pacto poteſt, ut ſi amore homini velut membra conglutinata ſint ſine moleſtia divellantur. Et hæc de ceteris affectibus ex amore promanantibus ſatis.

2. Cor. 7. — Lib. de agone Chriſt. c. 13. — Lib. de vera Relig. c. 47. — Lib. 10. Confeſſ. c. 3.

## CAPVT XIX.

### Ratio à priori cur illicitus ſit amor cujuſvis creaturæ propter ipſam.

IAM verò operæ pretium eſt conſiderare, quæ ratio eſſe poſſit, quòd ſine peccato non poſſit creaturæ rationalis amor hærere in creatura; ſed eum in creatorem retorquere neceſſarium ſit. Non hic rationem quæro, quæ ex præceptis Dei poſitivis petatur; *Nolite diligere mundum; Nolite conformari huic ſeculo: Diliges Dominum Deum tuum* &c. Quæ ex Scripturis undique ſonant, & in præcedentibus prolata ſunt; ſed rationem, quam ipſa rerum natura legis æternæ ſtabilita veritate ſuppeditet, & cui iſta præcepta Dei poſitiva nitantur. Hæc verò mihi non videtur alia, quàm quòd illa ſit naturalis creaturæ rationalis conditio, ut naturæ ordine infra Deum, juxta creaturas alias rationales, & ſupra corporalem collocata ſit. Infra Deum quidem tanquam naturalem Dominum & Creatorem ſuum, à quo habet ut ſit, & ſine quo non poteſt habere ut bona ſit: juxta creaturas rationales tanquam pares & ſocias ſuas: ſupra corporalem tanquam naturâ inferiorem, voluntati neceſſitatique rationalis naturæ famulantem. Hic ordo æternæ legis incommutabili veritate conſtitutus, & ipſis naturis rerum profundiſſimè infixus eſt: qui proinde ſicut ab increata ratione & voluntate tanquam æternâ lege ſancitus eſt; ita & à creata ratione & voluntate ſervari debet, nec niſi perverſa & peccante voluntate perturbari poteſt. Lex enim æterna non eſt aliud, quàm illa eadem increata divinaque ratio vel voluntas Dei, *ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Ordo autem ab omnibus rebus ſervatur amoribus velut ponderibus: *Pondus enim*, ut Auguſtinus, *eſt impetus quidam cujuſque rei conantis ad locum ſuum.* Sic enim ignis, & aër ſurſum; aqua, & tellus deorſum, pondere unumquodque nititur, ut in loco ſibi divinitus conſtituto ſervet ordinem ſuum: quò niſi pervenerint, tanquam minùs ordinata, inquieta ſunt; ſi pervenerint, ordinantur & quieſcunt. Pondus autem creaturæ rationalis eſt amor ejus. *Amor meus*, inquit ille, *pondus meum; illo feror quòcunque feror.* Quod uſque adeò verum eſt, ut pondera rerum potiùs amoris, quàm amor ponderum effigiem gerat; & illud potiùs iſtum, quàm iſte illud imitetur. Deus enim cùm univerſas mundanæ machinæ creaturas ordinatiſſimè conderet, omnia non ſolùm *in menſura, & numero*; ſed etjam *in pondere diſpoſuit*; quo in ſuum quodque locum tenderet: ideò à creatura rationali, tanquam à ſibi proxima incipiendo ordinem, pondus ei voluntatis & amoris impreſſit; ubi appareret, quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, poſtponen-

Lib. 22. contra Fauſt. c. 27 — Enarr. 1. in Pſal. 29. — 13. Confeſſ. cap. 9.

ponendoque penderetur. Sed cum creatura A corporalis amoris velut rationalis impulſûs non eſſet capax, pondus ei loco amoris datum eſt, juxta illud: *Velut amores corporum momenta* Lib. 11. de Civit. c. 28. *ſunt ponderum, ſive deorſum gravitate, ſive ſurſum levitate nitantur*: ita enim corpus, *ſicut animus, amore fertur, quocunque fertur.* Et iſtius ponderis impulſu decentiſſimus creaturarum omnium corporalium ordo ſervatur, ut quo quidque gravius leviuſve fuerit, eo inferiorem ſuperioremve locum ſummo conatu petat, & in eo velut ſuæ naturæ gaudio conquieſcat. Quod niſi fieret, ſumma rerum corporalium eſſet perturbatio, & perturbati ordinis perverſitas, quam velut antiquæ confuſionis chaos meritò ſapientiæ judicium improbaret. Cùm igitur ille proprius, ſi naturam ſpectes, creaturę rationalis eſſet locus, ut tota quaſi in medio inter increatam & corpoream naturali ordine collocata conſiſteret, pondus amoris ei infuſum B eſt, cujus impetu tributum ſibi divinitus ordinem peteret, adeptumque tueretur. Amoris enim illa natura eſt, ut amantem rebus amatis ſubijciat & inferiorem faciat. Quod enim amatur, dominatur animo, & imperioſâ quâdam poteſtate ſervire, & facere amantem cogit quodammodo quicquid jubet. Ex quo naſcitur, ut amator quibuſlibet rei amatæ perturbationibus perturbetur, diverſiſque vultibus ejus, vultum ſuum ineluctabili tractu (niſi amoris jugum excutiat) aptare cogatur. Hinc ejus præſentiâ lætatur, abſentiâ cruciatur, periculis angitur, zelo uritur, & in omnes affectus pro re nata mutatur & vertitur. Vnde hoc, niſi ex illo amoris imperio, quo in amantem animum velut inferiorem atque ſubjectum res amata dominatur, eumque in ſeipſam veluti ſuperiorem legibus amoris velut ponderis quo feratur, ordinat? Cùm igitur ſola veritas immutabilis, quæ verus Deus eſt, ſit ratione & C rationali creaturâ ſuperior, illi ſoli ſicut naturæ lege ſubjecta eſt, etjam amoris pondere ſubijci & ſervire debet. Quod ſi facit recta, juſta, virtuoſa eſt, & in genere ſuo optima, & ordinatiſſima, cùm virtus ſit creaturæ rationalis optimus ſtatus; & virtus non ſit aliud, 15. de Civit cap. 22. ut Auguſtinus, quàm *ordo amoris*; & per amorem velut pondus anima in iſta naturæ ſuæ medietate, infra ſupremam, ſupra infimam, juxta medium, prout mandatur æterna lege, teneatur; *qua*, ut Auguſtinus, *juſtum eſt, ut om-* Lib. 1. de lib. arb. c. 6. *nia ſint ordinatiſſima.* Quod ſi amorem illum à ſupremis, hoc eſt, à Deo, & illâ æternâ incommutabilis veritatis lege deflectit, ut vel in medium illo pondere amoris in ſeipſa delabatur, vel ulteriùs, in id quod infra ſe eſt, corporalem ſcilicet creaturam, perturbat ordinem æterna lege ſtabilitum; dum vel ſe ſibi ipſa per pondus amoris ſubijcit, ut ſe admirans, ſibique ipſi per ſuperbiam placens, alijs D animabus geſtiat ſe præponere, quas ei pares & ſocias eſſe naturalis ordo fecit; vel alijs rebus amore inhærens, illis ſe ſubijcit quas ei ſubditas eſſe oportebat, & ea bona ſibi conſtituit, quibus ordinandis benèque tractandis

A ipſa utique deberet eſſe bonum. Propter quam naturalis ordinis perturbationem juſtiſſimè eâdem illâ lege, quæ ordinem naturalem conſervari jubet, perturbari vetat, velut inordinata & perverſa damnatur. Hæc eſt ergò radix malitiæ, quæ in omni amore rebus creatis inhærente reperitur, quòd per illum velut pondus, anima extra ordinem ſuum moveatur, dum inordinatè ſeſe vel æqualibus præponit, vel inferioribus ſubijcit. Tetigit hanc radicem Auguſtinus multis locis: *Vides profectò*, inquit, *in iſta diſtributione naturarum, quid ſummè ſit, quid* Ep. *infimè, & tamen ſit, quid mediè, maiuſque infimo, & minus ſummò ſit. Summum illud eſt beatitas*; (id eſt, Deus fons omnis beatitudinis) *infimum, quod nec beatum eſſe poteſt, nec miſerum*, ſcilicet corpus. *Quod verò medium, vivit inclinatione ad infimum miſerè; converſione ad ſummum, beatè vivit: Qui Chriſto credit non diligit infimum, non* B *ſuperbit in medio* (ſcilicet ſupra alias animas, quod amore ſui-ipſius fit) *atque ita ſummo inhærere ſit idoneus. Et hoc eſt totum quod agere iubemur, movemur, accendimur.* Et lib. 6. Muſicæ: *Non ergò invideamus inferioribus quàm nos ſumus* (id Lib. eſt corporeis rebus) *noſque ipſos inter illa, quæ infra nos ſunt, & illa quæ ſupra nos ſunt, ita Deo & Domino noſtro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, ſolis autem ſuperioribus delectemur. Delectatio quippe quaſi pondus eſt animæ, delectatio ergò ordinat animam. Vbi enim erit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum: ubi delectatio, ibi theſaurus: ubi autem cor, ibi beatitudo, aut miſeria.* Nihil verius dici poteſt. Impoſſibile eſt enim, ut ubi cor, hoc eſt, amor ac delectatio (quæ in hac re idem ſunt, cùm finis amoris ſit delectatio) rei cuicunque præterquam ſoli Deo affixa fuerint, non confeſtim miſeria conſequatur: nec miſeria ſine peccato eſſe ullo pacto poteſt. Et inferius idem tractat expli- C catiùs: *Amor inferioris pulchritudinis animam pol-* Ibid. *luit, quæ cum in illa* (pulchritudine) *non modo æqualitatem, ſed etiam ordinem diligat, amiſit ipſa ordinem ſuum: nec tamen exceſſit ordinem rerum; quandoquidem ibi eſt, & ita eſt, ubi eſſe, & quomodo eſſe tales, ordinatiſſimum eſt. Aliud eſt enim tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem ſeipſâ totâ diligens quod ſupra ſe eſt, id eſt, Deum, ſocias autem animas tanquam ſeipſam*, id eſt, propter Deum quem diligit. *Hâc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus ordinatur.* Et in libro 1. de libero arbitrio: *Quæ* Lib. 1. de lib. arb. (mutabilia ac temporalia) *quamquam in ordine ſuo rectè collocata ſint, & ſuam quandam pulchritudinem peragant; perverſi tamen animi eſt & inordinati, eis ſequendis ſubijci, quibus ad nutum ſuum ducendis potiùs divino ordine ac iure prælatus eſt.* Et libro de vera Religione: *Eſt autem vitium primum animæ rationalis voluntas ea faciendi quæ vetat* Lib. de vera Relig. *ſumma & intima veritas.* Sæpiſſimè autem do- D cuit, ut ſuprà latiùs declaravimus, quòd ſumma veritas, hoc eſt, *lex æterna iubet averte-* Lib. 1. de lib. arb. *re amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna.* Vnde ſtatim etjam in libro jam citato de vera Religione declarans, quid vetet illa ſumma & intima veritas, ſic clarè & præclarè

præclarè attexit: *Eſt igitur quoddam bonum, quod* A *ſi diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum eſt: quare ipſum peccatum malum eſt, non ea ſubſtantia, quæ peccando diligitur.* Ecce, quàm diſertis verbis proteſtatur, peccatum eſſe diligere bonum quod infra animam ordinatum eſt; idque ideo, quia infra illam ordinatum eſt. Hoc ipſo enim quo bonum inferius diligit, infra illud ipſamet amore deprimitur, cui, inhærendo ſupremis, ſuperferri tenebatur. Vnde & libro primo de ſermone Domini in monte: *Omnes naturæ in ordine ſuo gradibus ſuis pulchræ ſunt: ſed de ſuperioribus in quibus rationalis animus ordinatus eſt, ad inferiora non eſt declinandum. Nec quiſquam hoc facere cogitur; & ideo ſi fecerit, juſta defenſione punitur. Non enim hoc committit invitus.*

Lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, c. 12.

Hinc eſt quòd Auguſtinus ſæpè arguit in creatura rationali hoc ſolum, quòd anima ſummis fruens, ad corporea, ad inferiora, ad id quod minus eſt, inclinavit affectum. Nam hoc ipſum, ad minus voluntate declinare, relictis ſummis, quibus jubetur & poteſt inhærere, vitioſum eſt: quia declinat ad aliquid minus amore, quàm cui inhærere poteſt, & juſſa eſt; facitque ſe deteriorem, quàm à Deo facta eſt: quod æternæ legis veritate non licet. *Ea quæ dicitur à veritate atque ſapientia ſeparatio, perverſa voluntas eſt, qua inferiora diliguntur.* Et adverſus Secundinum Manichæum: *Propterea nihil ſiunt quæ facta ſunt, cùm ſuperiora ad inferiora declinant: ubi eſt omne peccatum, & omne quod dicitur malum.* Et uberiùs in conſequentibus, ubi & ratio peccati in hujuſmodi amoris motu, quo animus extra ordinem ſuum tendit, accuratè tangitur: *Deficere non jam nihil eſt, ſed ad nihilum tendere. Cum enim ea quæ magis ſunt, declinant ad ea quæ minus ſunt, non illa in quæ declinant, ſed illa quæ declinant deficiunt, & minus eſſe incipiunt quàm erant: Non quidem ut ea ſint, ad quæ declinaverunt, ſed pro ſuo genere minus. Non enim cùm animus ad corpus declinat, corpus efficitur, ſed tamen defectivo appetitu quodammodo corporaſcit: ita & Angelica quædam ſublimitas, cum magis delectata eſt ſuo dominatu in ſeipſa, ad id quod minus eſt inclinavit affectum, & minus eſſe cœpit quàm erat, & pro ſuo gradu tetendit ad nihilum. Quanto enim quæque res minus eſt, tanto vicinior nihilo eſt. Cum autem iſti defectus voluntariè fiunt, rectè reprehenduntur & peccata nominantur.* Vbi vides apertiſſimè, hoc ipſum aſſeri eſſe peccatum, voluntario motu, hoc eſt, amore veluti pondere ad minus, hoc eſt, inferius bonum tendere, quàm illud, cui naturali ordine rationalis creatura ſubjuncta eſt. Nempe quia perturbat ordinem, quantum in ſe eſt, ſibi divinâ lege præſtitutum, & ſe inferioribus ſubjicit, & ita tendit ad nihilum, & ipſa corrumpitur. *Quiſquis enim quod ſeipſo eſt deterius ſequitur, fit & ipſe deterior.* Eundem defectum, & ideo culpabilem voluntatis motum etiam explicat in libris de Civi-

Lib. 2. de lib. arbit. c. 14.

Lib. cont. Secund. c. 16.

Ibid. c. 11.

De morib. Eccleſ. c. 2.

tate Dei, ubi de defectu Angelorum ad fruendum non corporibus, ſed ſeipſis loquens: *Deficiunt*, inquit, *non ad mala, ſed malè: id eſt, non ad malas naturas; ſed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt.* Quod exemplis hominis, per avaritiam, luxuriam, jactantiam, ſuperbiamque deficientis ad bona inferiora, declarat. Et in libris de libero arbitrio: *Voluntas averſa ab incommutabili & communi bono, & converſa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat.* Et mox adjungit: *Motus ergo ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectivus motus eſt,* (hoc eſt, ideo eſt peccatum, quia per illam à ſuperiori bono ad inferiora deficitur) *omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quo pertineat.* Et libro ſecundo ejuſdem operis de libero arbitrio explicās quid ille ſit motus amoris, quo ad fruendum tendi- B tur inferioribus bonis, quibus amor inhærebat: *Reſtat igitur*, inquit, *ut eius ſit proprius iſte motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam à creatore convertit.* Vnde illa ſancti doctoris definitiva ſententia: *Dixiſti mihi Domine, voce forti in aurem interiorem, quod hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te qui es, ad id quod minus eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt.* Cujuſmodi ſententiæ ab Auguſtino paſſim repetuntur: quibus ipſe cujuſlibet peccati rationem explicat ſive mortalis ſive venialis. Duplex enim eſt ad commutabile bonum ab incommutabili bono, hoc eſt, Auguſtini phraſi, ab incommutabili veritate, & æternâ lege defectus; unus, quo voluntas ita deficit, ut incommutabili bono præponat commutabile, ſic videlicet, ut ſi articulus temporis occurrat, quo neceſſariò alteruter vel Deus vel creatura relinquenda eſt, deſerto Deo præponatur creatura: qui defectus C voluntatis ad inferius bonum peccatum eſt æternâ morte puniendum. Tunc enim non tantùm actu, ſed & habitu avertitur ab incommutabili bono. Alter eſt, quo actu quidem avertitur ab æternæ veritatis, hoc eſt, Dei præſcripto, quo jubet avertere amorem à temporalibus, & ad æterna convertere, non tamen habitu: hoc eſt, non creatori creatura, ſed creaturæ potius creator anteponitur amore, ſi alteruter deſerendus eſſet; tametſi actu, vetante æternæ legis veritate, homo creaturâ perfrui velit. Neque enim ullum omnino peccatum eſt, quantùmcunque veniale, quod non illa lex æterna vetet, & quo non illa æterna lex, hoc eſt, ipſa (ut Auguſtinus explicat) *divina ratio vel voluntas Dei* in actu ipſo negligatur. Tam enim prohibet divina ratio ſeu incommutabilis Dei veritas, non eſſe officiosè mentiendum, quàm non eſſe fornicandum, ſed unum levius, alterum gravius. Vtraque tamen veritas ne- D gligitur ac deſeritur; ab utraque avertitur in ipſo actu animus, dum creatura contra præſcriptum ejus frui cupit: ſed in leviori, animus habitu Deo conjunctus manet; neque enim

Lib. 12. de Civit. c. 8.

Lib. 2. de lib. arbit. c. 19.

Ibid. c. 20.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 1.

Lib. 12. Confeſſ. c. 11.

ſub interminatione diſſolvendæ amicitiæ prohibetur: in graviori & habitus diligendi & actus abrumpitur. Secundum hanc igitur duplicis defectus conſiderationem, generaliſſimè in omni peccato defectum aliquem Auguſtinus intelligit ab incommutabili bono, hoc eſt, ab æterna illa lege & veritate, qua omne omnino peccatum prohibetur, utpote quod non eſt aliud niſi *factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam.* Illam enim non ſolùm habitu diligere, ſed in omni omnino actu, & voluntatis motu, & ratione, & cogitatione præcipimur ſequi, illam attendere, illi inhærere. Hæc enim eſt illa, *qua iuſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* Impoſſibile eſt autem non eſſe ordinatiſſimum, quòd in omni voluntatis motu legem illam, hoc eſt, æternam de agendis & non agendis veritatem diligamus & ſequamur. Quod ſi facimus, recte facimus, ſin minus, ſine dubitatione peccamus: quia id non facimus, quod præſcribit incommutabilis veritas eſſe faciendum. Avertimur ergo ab illa actu diligenda, dum avertimur à ſequenda. Et ille eſt defectus, quem Auguſtinus in omni peccato agnoſcit, & prædicat, ab incommutabili bono; quia illud ordinatiſſimum eſt, ut in omni voluntatis motu & actione diligamus. Quod à me fortaſſis aliquis excogitatum eſſe ad hanc ſtabiliendam doctrinam ſuſpicari poſſet, niſi ipſe ſeipſum luculentiſſimè Auguſtinus exponeret: Qua de re illuſtris eſt locus in libro de Mendacio, ubi ex profeſſo de mendacijs officioſis diſputat, per quæ poſſet honorabilis perſonæ pudicitia violentè invaſa cuſtodiri: *Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem eſſe animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda eſt, quæ in æternum ſervari poteſt. Quis autem dixerit integrum animum eſſe mentientis? Etenim libido quoque ipſa rectè definitur appetitus animi, quo æternis bonis qualibet temporalia præponuntur.* Nempe ſaltem quantum ad actum diligendi, ſi non quantum ad habitum diligentis. *Nemo itaque poteſt convincere aliquando eſſe mentiendum, niſi qui potuerit oſtendere, æternum aliquod bonum obtineri poſſe mendacio. Sed cùm tanto quiſque ab æternitate diſcedat, quanto à veritate diſcordat: qui autem mentitur, à veritate diſcedit* (quod & in veniali mendacio non minùs quàm mortali locum habere perſpicuum eſt) *abſurdiſſimum eſt dicere, diſcedendo*

Lib. 22. cont. Fauſt. cap. 27.

Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.

Lib. de mendacio c. 7.

*inde poſſe ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut ſi eſt aliquod bonum æternum, quod non complectitur veritas, non erit verum: & ideò nec bonum erit, quia falſum erit. Vt autem animus corpori, ita etiam veritas ipſi animo præponenda eſt: ut eam non ſolùm magis quàm corpus, ſed etiam magis quam ſeipſum appetat animus. Ita quippe erit integrior & caſtior, cùm eius potiùs immutabilitate, quam ſua mutabilitate perfruitur.* Ecce lucidiſſimè declaratum, etiam in peccatis venialibus hominem à veritate diſcedere, hoc eſt, ad inferiora deficere, & idcirco peccare, quia æterno illi bono ſaltem actu aliquid temporale præponit. Nam & libido illa, quam definit, omnia omninò peccata complectitur, ut ſuprà declaravimus; & mentientem, nempe quemlibet etiam venialiter, ſicut per ſe perſpicuum eſt, diſcedere, ſeu deficere ab æterno & incommutabili bono, hoc eſt, à veritate profitetur. Illi enim potiùs, quàm ulli alteri temporali bono, amore adhærendum eſſe ipſa æterna veritas jubet. Vnde generaliſſimè Auguſtinus dicit alibi: *Tunc cuique non eſt benè, ſi meliùs eſſe poteſt. Quære ſi nobis poteſt benè eſſe cum ipſa veritate, malè ſumus cum qualibet veſtigio veritatis*; id eſt, creatura; *multò ergò deteriùs, cum extremitate veſtigij, quando carnis voluptatibus adhæremus.* Et radicem iſtius mali tangens, quæ eſt in perfruenda carnis voluptate, hoc eſt, quæ quolibet ſenſu in carne perficitur, ſic ſtatim addit: *Non quia malum eſt natura corporis, ſed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique conceſſum eſt.* Et in alio libro adverſus Manichæos: *Propterea corporea diligendo peccamus, quia ſpiritalia diligere & iuſtitiâ iubemur* (nempe æterna illa lege, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima) *& naturâ poſſumus; & tunc in noſtro genere optimi & beatiſſimi ſumus.* Nam ut alibi veriſſimè & generaliſſimè dicit: *Id ſolùm rectè diligitur, quod nunquam benè amittitur*, hoc eſt, ſolus Deus. Si id ſolum rectè diligatur, ergò aliud quodcunque perversè diligitur. Et alibi: *Amandus igitur ſolus Deus eſt, omnis verò iſte mundus, id eſt, omnia viſibilia contemnenda.* Solus amandus, quia *ille ſolus verus eſt rationalis animæ cibus.* Et iſta quidem ratio, quæ ex natura deficientis iſtius amoris, & perturbati naturalis ordinis petitur, à priori ſumpta eſt.

Lib. de ver. Relig.

Ibid. c. 39.

Lib. de duab. animabus cap. 13.

In ſententiis Proſp. ex Aug. ſenten. 264.

Lib. de mor. Eccleſ.

Lib. de nat. & grat. cap. 10.

CAPUT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# CAPVT XX.

## Ratione à poſteriori, ſeu ex effectibus idem declaratur. Septem effectus amoris rerum creatarum adferuntur.

QVOD ſi vero amorem, quo creaturę propter ſeipſas diliguntur, ceteroſque affectus comites ejus à poſteriori, hoc eſt, ex effectibus quos in anima relinquunt, conſiderare voluerimus, certiſſimo deprehendemus, non poſſe ſine peccato creaturis propter creaturas affectum amoris adjici ſic ut in creaturis hęrēdo non retorqueatur in Deum. Pernicies enim eorum tanta eſt, ut quamvis amorem illum per ſe licitum eſſe fingeremus, ſola malorum quæ parit conſiderat o animam obſtringeret, ut ab amanda quacunque creatura fruendaque temperaret. Quamobrem operæ pretium eſt illos effectus ex Auguſtini doctrina quàm breviſſimè perſtringere, ut ſpiritalis amator boni noverit, quantum interſit ad ſpiritalem quam meditatur vitam, affectus univerſos & pręſertim amorem veluti ducem cardinemque ceterorum ab omnium omnino, non modo ſenſibilium, ſed quarumcumque creatarũ rerum dilectione reſtringere, ut anima incorrupta exhibeatur Deo.

Primus igitur effectus, quem amor creaturæ in animo parit, eſt amiſſio libertatis, quæ velut maximum Dei beneficium ei chariſſima eſſe debet. Sic enim condita eſt creatura rationalis, ut ſoli Deo tamquam vero rerum univerſarum Domino ſerviret, & per humilem illius ſervitutem & ſibi & rebus omnibus ſumma libertate dominaretur. Hæc libertas ejus amore creaturæ perit, & ſi magnus fuerit, funditus extinguitur. Libertas enim è diametro repugnat ſervituti: amor autem neceſſario ſervum amati amantem facit, quia propter amatum cuncta facit. Nam ut omnia quæ fiunt, neceſſe eſt propter finem fieri, ita & propter amorem: finis enim niſi amatus, non eſt finis ſed medium propter amatum finem. Hinc Auguſtinus: *Quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipſis potius per cupiditatem* (amorem) *tenentur, & rerum mortalium ſervi fiunt, dum imperitè Domini eſſe deſiderant.* Et alibi adverſus amatores rei cujuſcunque temporalis diſputans, ita loquitur: *Ita neſcientes diligant temporalia, ut inde beatitudinem exſpectent* (id eſt, ut eis non uti ſed frui velint, hoc eſt enim Auguſtino ſemper ad beatitudinem diligere, ut & ſupra declaravimus, & ex ſubjecta ratione patet) *His autem quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt, velit, nolit. Nam quocunque duxerint ſequitur: & quiſquis ea viſus fuerit auferre, metuitur. Poſſunt autem auferre iſta & ſcintilla ignis, & aliqua parva beſtiola. Poſtremò, ut omittam innumerabiles adverſitates, tempus ipſum auferat neceſſe eſt omnia tranſeuntia. Itaque cùm omnia temporalia tranſeuntia mundus iſte concludat, omnibus mundi partibus ſerviunt, qui propterea nihil putant colendum eſſe, ne ſerviant.* Vnde præclarè Chriſtus Dominus, dum amorem divitiarum prohiberet, generaliſſimam ſententiam tulit, qua omnis omnino rerum creatarum amor præciditur: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Nam amor eſt unica & vera ſervitus Dei, quæ hoc ipſo dividitur, quo amor in diverſa ſcinditur. Oritur effectus iſte ex alio de quo ſuperiore capite diſſeruimus, quia amor amato amantem inferiorem facit. De quo Auguſtinus: *Non quod Deus iſta* (bona) *non creaverit, ſed quia ſubjicere ſe homines volunt iis rebus per peccata* (id eſt, per amorem, nam de amore rerum temporalium diſputat) *quæ illis per rectè facta divinâ lege ſubjecta ſunt.*

Lib. de morib. Eccleſ. lib. 13.

Lib. de verá Relig. c. 38.

Matth. 6.

De morib. Eccleſ. c. 21.

Ex quo naſcitur alius effectus priori ſimilis, ut quicunque rem amat, quamdiu amat, de illa judicare non poſſit. Iudicium enim ſuperiorem poſtulat; amor ſubjectum facit & judicij ſinceritatem adulterat, quia cum acceptione perſonarum judicare facit. Vnde de amore à terrenis avellendo ſatagens in illud Pſalmi: *Qui iudicatis terram: ſpiritales,* inquit, *ſignificat, qui ut Reges iudicant terram. Inferius enim nobis eſt quicquid iudicamus: quicquid autem infra ſpiritalem hominem eſt, meritò terra nominatur quia terrenâ labe ſauciatum eſt.* Et contra Epiſtolam fundamenti: *Nec ei tamen ut amatores ſpeciei infimæ inhæreamus, ſed ut Dei laudatores eam tranſgrediamur, ut ſupra eam collocati de ea iudicemus; non ei connexi cum illa iudicemur.*

In Pſalm. 2.

Cap 41. cont. Epiſt. fundamenti.

Secundus effectus eſt, quia amor creaturæ facit ſimilem rebus amatis: ex quo fit, ut ſicut æternitas amata æternitate animum amantis afficit, juxta illud Auguſtini: *Iunge cor tuum æternitati Dei, & cum illo æternus eris:* ita & res terrena, corruptibilitate. Vnde idem: *Non enim cùm animus ad corpus declinat, corpus efficitur; ſed tamen defectivo appetitu quodammodo corporaſcit.* Et in libro de moribus Eccleſiæ: *Iubemur nihil mundi huius diligere, illa maxime ſententiâ, qua dictum eſt: Nolite conformari huic mundo: ſimul enim demonſtrandum eſt, ei rei quemque conformari quam diligit.* Cùm enim amor omnis nitatur ad unitatem efficiendam quoad poteſt, quantum deficit ab aſſequenda unitate, tantum relinquit de ſimi-

In Pſal. 91.

Cont. Secundin. c. 11.

Lib. de morib. Eccleſ. c. 21.

de ſimilitudine. Similitudo quippe duorum A deficiens quædam unitas eſt. Itaque vi amoris fit, ut homo carnem amando fiat carnalis, & ſpiritum amando ſpiritalis, adeo ut Apoſtolus dicat: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Et è contrario Auguſtinus: *Si Deo quanto ſimilior, tanto quiſque ſit propinquior, nulla eſt ab illo alia longinquitas, quam ejus diſſimilitudo. Incorporali verò illi, æterno, & incommutabili tanto eſt anima hominis diſſimilior, quanto rerum temporalium mutabilium, cupidior.* Ex hac radice naſcitur, ut quem vehementi amore complectimur, etiam moribus exprimamus; neque virtutes modò, ſed & vitia, non animi tantùm, ſed & corporis imitemur. Quod verò mirabilius eſt, amor vehemens etiam ipſum corpus animantis vehementer afficit, nec ſolùm proprium, ſed etiam fœtuum, quorum eſt facilis ac ductilis corpulentia, dum plerumque fœtus produnt libidines matrum, B quod cum magna delectatione conſpexerint. Quid ergo mirum, ſi animi terrena diligentium, rebus amatis penitus fiant ſimiles, & *abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt?* Vnde generaliter Auguſtinus: *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus; Ego dixi, Dij eſtis.*

1. Cor. 6.
Lib. 9. de Civit. c. 16.
Oſeæ 9.
Tract. 2. in Epiſt. Ioan.

Tertius eſt, quod animum rebus creatis glutino quodam alligat & illaqueat. Ex quo fit, ut quantumvis antè libera voluntate dilexerit, non poſſit ſe ab ejus amore extricare, ut pennis liberis in Deum evolet: *Quiſquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam liberis alis, ſancto amore volantem ad Dominum. Quicunque implicatur amore carnali, viſcum habet in pennis.* Et in ſoliloquijs: *Penitus iſta ſenſibilia fugienda, cavendùmque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum viſco C pennæ noſtræ impediantur, quibus integris opus eſt, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus.* Contra quod viſcum terreni amoris ſæpiſſimè exclamat Auguſtinus: ſed præclare in ſermonibus de diverſis: *Amate, & nolite amare. Ad aliquid amate, & ad aliquid amare nolite. Eſt enim quod ad profectum ametur: Et eſt quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, ſi non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum eſt: Viſcum eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt, virtutum quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Nunquid non caperis ideo quia dulciter caperis? Quanto magis delectat, tanto magis ſtrangulat. Hæc dico, & laudatis, & clamatis, & amatis.* Effectus ille ab amore terreno inſeparabilis eſt, quamvis initio pœnè ſenſum fugiat: ſed repetitis actibus amoris, creſcit amor, & fit libido amandi ac delectandi ſe; ex delectatione naſcitur conſuetudo, ex conſuetudine neceſſitas. Laqueus D iſte non ſentitur niſi cùm rumpendus eſt, & animus in Deum ſublevandus. Tunc enim à quocunque vel tenuiſſimo terreno amore præpeditur. Vnde de affectu laudis & exi-

In Pſal. 103.
Lib. 1. Solil. cap. 14.
Serm. 105. de diverſ. c. 4.

A ſtimationis humanæ dicit Auguſtinus: *Etiam neſcientem onerat; quod non ſentiet, niſi cùm ſurgere voluerit: atque utinam non ſic alligentur hæc onera, ut fruſtra etiam humeros conetur excutere.*

Epiſt. ...

Ex iſto effectu ſequitur quartus, difficultas avellendi animum, & dolor carendi, juxta illud vulgatiſſimum Auguſtini & creberrimè multis locis repetitum, non ſolùm de delicijs, ſed de alijs quibuſcunque rebus quibus amore colligamur: *Non eſt in carendo difficultas, niſi cùm eſt in habendo cupiditas,* hoc eſt, amor. Et è contrario alibi de omnibus terrenis amoribus: *Eorum amiſſione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur.* Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Etiam iſte effectus amori arctiſſimè conjunctus eſt, & ferè dixerim, eſſentialis. Nam ut optimè dolorem animi B definiendo dixit Auguſtinus: *Quid eſt dolor, qui dicitur animi, niſi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui ſe poſſe ſperaverat?* Id eſt, quas amando ad fruendum expetebat. Amor enim fruitione, ſicut motus quiete terminatur. Ex quo fit, ut terrenas qualeſcunque delicias tantùm quiſque perdendo ſentiat, quantùm amando peccaverit. Tantùm quippe dolet, quantùm ſe doloribus inſeruerit. Itaque de quolibet rerum pereuntium amatore luculentè ſanctiſſimus Doctor: *Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc ſentit miſeriam, qua miſer eſt & antequam amittat eas.*

Lib. 3. ... doct. ... cap. ...
Lib. ... Conf. ...
Lib. ... reg. ...
Lib. 4. Conf. c. 4.

Quintus eſt inſtabilitas animi, ut qui rei inſtabili innititur: ex quo naſcitur inquietudo. Cùm enim omnia creata mutationibus obnoxia ſint, nec eorum quicquam ſit, quod non invitus poſſit amittere, hinc fit, C ut omnes rei amatæ caſus is qui amaverit, ſentire cogatur. Et ut adverſus omnes adverſitates munitus fuerit, tempus ipſum auferat neceſſe eſt omnia tranſeuntia. Hinc varijs contrarijſque nonnunquam tempeſtatibus totum hominis animum vitamque perturbat, nunc timore, nunc deſiderio, nunc anxietate, nunc inani falsâque lætitiâ, nunc cruciatu rei amiſſæ quæ diligebatur, nunc ardore adipiſcendæ quæ non habebatur. Quos quidem affectus impoſſibile eſt ab amante creaturam mutabilem, ac temporalem ſeparare, niſi amor ipſe ſeparetur. Vnde Auguſtinus: *Ita formari exoptabis, ut affectiones tuæ non ſint temporales, de temporalium rerum amoribus inuſtæ & impreſſæ: quæ temporalia & antequam ſint non ſunt; & cùm ſunt, fugiunt; & cùm fugerint, non erunt. Itaque cùm futura ſunt, nondum ſunt; cùm autem præterita ſunt, iam non ſunt. Quomodo igitur tenebuntur D ut maneant, quibus hoc eſt, incipere ut ſint, quod eſt pergere ut non ſint?* Pergendo autem ut non ſint *ſecum amantis vires ſubruunt.* Hinc ergo neceſſariò naſcitur interitus tranquillitatis, non ſolùm antequam animus re dilectâ potiatur,

Lib. 3. de lib. arbit. c. 5.

ſed

ſed etiam cùm potitus, frui cœperit: cùm A nullâ re frui poſſit cum tranquillitate, niſi qua fruitur cum ſecuritate. Quæ autem ſecuritas eſſe poteſt, ubi perinde ut loca offerunt quod amemus, tempora ſurripiunt quod amamus? Hinc in aliud & aliud rapitur fraudata cupiditas, ut impleat egeſtatem ſuam. Hinc fit inquietus & ærumnoſus animus, fruſtra teneri à quibus tenetur, exoptans. Vocatur ergo ad quietem, hoc eſt, ut illa non diligat, quæ diligi ſine labore non poſſunt. Sic enim eis dominabitur, ſic non tenebitur, ſed tenebit. Sic veluti fundatus ſupra petram ſtabilis permanebit. Hinc Auguſtinus adverſus eos, qui fines rerum agendarum nunc has nunc illas res dilectas ſibi ſtatuunt, quibus adeptis tranquillè perfruantur, præclare dicit: *Cum non ſatiaverit avidum ſpiritum vanitas laudis humanæ, quia nihil ad cibandum adfert, niſi inane & inflatum, cogitur eam ipſa aviditas referre in aliud quaſi* B *uberius atque fructuoſius: quod nihilominus, ſi temporali lapſu præterſluit, ita eſt quaſi fluvius ducat in fluvium, ut non ſit finis miſeriæ, quamdiu finis officiorum noſtrorum in re inſtabili collocatur.* Finis enim id ſolum eſt quod amatur, & propter quem etiam ea quæ non amamus aſſumimus: *In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono, te figere volumus conſtantiſſimæ intentionis domum, & ſecuriſſimam requiem omnis bonæ atque beneficæ actionis tuæ.*

Epiſt. 56.

Ibid.

Sextus effectus animæ ſummopere pernicioſus eſt immunditia, quæ ab amore rei cujuſque temporalis divelli nullo modo poteſt. Amor enim eſt quidam veluti contactus animi, imo ingreſſus ejus intimus in rem amatam: quæ ſi fuerit ipſo amante ignobilior, polluit dignitatem ejus. Quod enim illum ſordidat non eſt malum, cum etiam corpus, creatura Dei ſit, & ſpecie ſuâ infimâ decoretur; ſed præ creaturæ rationa- C lis ſummâ, quæ ſub Deo eſt, nobilitate contemnitur; ſicuti auri dignitas etiam purgatiſſimi argenti commixtione ſordeſcit. Vnde pulchrè Auguſtinus: *Sordeſcit aliquid, cùm inferiori miſcetur naturæ, quamvis in ſuo genere non ſordidetur; quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter terrenorum cupiditate ſordeſcit, quamvis ipſa terra in ſuo genere atque ordine munda ſit.* Et de Eccleſia loquens: *Nonne iſta eſt quæ immunda erat in omni cupiditate deſiderioque carnali?* Ita fit, quod mirum videri poteſt, ut cum reprobus ille damnatuſque ſpiritus nihil terrenum, ſed ſpiritum creatum adamaverit, propter illum contactum amoris inquinatus ſit, & proprio quaſi nomine *ſpiritus immundus* appelletur: Anima verò è contrario, cum corpori longè viliori per ſuam ſubſtantiam ſit permixta, nulla tamen inde labe polluatur. *Non enim,* inquit Auguſtinus, *cùm regit corpus atque viſificat; ſed cum eius bona mortalia concupiſcit, de corpore anima maculatur.* D

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 13.

In Pſal. 103.

Lib. de Fide & ſymb. c. 4.

Nec illa amoris immunditia in ſola voluntate ſuos effectus operatur, Sed in ipſam mentis aciem tranſit, quam neſcio quibus obducit nubibus, ut ſerenitatem veritatis de re amata videre non poſſit. Quæ cæcitatis labes omni omnino creatarum rerum amori atque fruitioni comes adjungitur: ut rectiſſimè de Deo Auguſtinus dixerit, quòd indefatigabili lege pluat *pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Fit hoc partim propter phantaſmatum turbam, quam omnis terrenus amor intus à rebus amatis rapit, quia res ipſas intus rapere non poteſt: hæc in oculos mentis involant, & veritatem, maximè de re amata, videre non ſinunt: partim propter affectûs vehementiam, qui non id quod eſt, vel eſſe debet; ſed id quod diligit verum eſſe deſiderat, & verum videri facit. De utroque cernendæ veritatis impedimento, quod omnis amor creatarum rerum ingerit, ita Auguſtinus: *Hinc et animæ oboritur erroris dedecus, dum rerum ſenſarum imagines ſeſernere à ſe non poteſt, ut ſe ſolam videat. Cohæſerunt enim mirabiliter glutino amoris: & hæc eſt eius immunditia, quoniam dum ſe ſolam nititur cogitare, hoc ſe putat eſſe, ſine quo ſe non poteſt cogitare.* Sed luculentius & ex profeſſo in libro de Vtilitate credendi: *Id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, inhærere veritati: quod profecto ſordidus animus non poteſt. Sunt autem ſordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & Deum* (id eſt, præter proximum & Deum) *à quibus ſordibus quanto eſt quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cùm ideò purgetur ut videas, perverſum certè atque præpoſterum eſt.* Ecce planiſſimè dicit, quarumlibet rerum amorem præter quam Dei & proximi ſcilicet propter Deum, eſſe ſordes, quibus animus inquinatur, & à cernenda veritate præpeditur. Et alibi: *Quæ tamen omnis immunditia de rerum temporalium dilectione concipitur, id eſt, dilectione huius ſeculi, cui iubemur renunciare, ut mundi eſſe poſſimus.* Nam illa dilectio ſeculi, hoc eſt, ut ante dixit, ille amor quarumlibet rerum præter animum & Deum, quo magis in homine incrementum cœperit, eo majorem cernendæ veritatis difficultatem facit, uſque adeo ut illa perfecta cæcitas, ſeu plena videndi impotentia, qua quidam dicuntur excæcati, non aliunde quàm ex huiuſmodi creatarum rerum amore magis magiſque augeſcente, & in aperta peccata prorumpente naſcatur, ut Auguſtinus multis in locis teſtis eſt, & alibi fortaſſe fuſius, ſi res ita poſtulaverit demonſtrabimus.

Lib. 10. de Trinit. c. 8.

Lib. ad Honorat. c. 16.

Lib. 2. de Ser. Domini in monte c. 20.

Ex iſta animi partim hebetudine partim amoris alligatione, quo velut vinculo creatis rebus obſtrictus eſt, ſeptimus effectus maximopere pernicioſus proficiſcitur, quòd etiam rectum uſum rerum ad uſum dumtaxat conceſſarum prorſus impediat. Fixa quippe in Auguſtini principijs regula eſt, neminem benè rebus utendis uti poſſe quas dilexerit: ut enim eis aliquis benè utatur, opus eſt etjam poſſe non uti. Hoc autem non poteſt quiſquis earum

rum amore devinctus eſt. De quo præclariſſimè Auguſtinus illum Apoſtoli locum explicans: *Et qui utuntur hoc mundo, quaſi non utantur. Quid eſt*, inquit, *quaſi non utantur, niſi non diligant quo utantur? Quoniam tale eſt, ut benè aliter non utantur. Et hoc quidem etiam in his rebus obſervandum eſt, quæ in hoc mundo ſic bonæ ſunt, ut tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malam eſſe pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo ea bene utitur qui dilexerit; quanto magis libidine.* Et alibi non minus luculentè: *Sic uſi ſunt perfecti animi bonis terrenis ad aliud neceſſarijs* (cibo, uxoribus, opibus, &c) *per hunc habitum continentiæ, quo eis non alligarentur, & quo poſſent eis etiam non uti, ſi non opus eſſet. Nec quiſquam eis benè utitur, niſi qui & non uti poteſt. Multi quidem faciliùs ſe abſtinent ut non utantur, quàm temperent ut benè utantur; Nemo tamen eis poteſt ſapienter uti, niſi qui poteſt & continenter non uti.* Alioquin enim impetus dilectionis facit, ut legitimi uſûs metas vel cæcitate non videat vel infirmitate tranſiliat. Modum enim neceſſitatis reſpectu finis, quem omnis rectus uſus poſtulat, amantem amor videre non ſinit, & ipſum utendi fruendique limitem rapiendo abſcondit, ac tranſit, perſuadendo ei ſatis non eſſe quod ſatis eſt, dum libenter amoris provocationibus ducitur. Ita fit, ut cùm rebus utendis uti debeamus, frui non debeamus, & utendo & fruendo peccemus. Quapropter quicunque creaturis hujus mundi, quibus vetatur frui, rectè uti voluerit, neceſſariò debet animo ita eſſe conſtitutus, quemadmodum Auguſtinus monet; *ut non eis amore conglutinetur, neque velut membra ſui animi faciat, quod fit amando; ne cum reſecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent: ſed eis totus ſuperferatur, & habere illa atque regere, cùm opus eſt, paratus, & amittere, ac non habere paratior.* Quiſquis enim talibus bonis, cùm non eſt opus, aliter affectus eſt, non eis ut medijs uti, ſed ut bonis adamatis frui; nec per viam ad terminum anhelare, ſed ipſi viæ inhærere velle convincitur. Non igitur indifferens eis ſuperfertur animus, ſed amore implicatus eis rebus ſubditur, quas ei ſubditas eſſe oportebat: & ea bona ſibi conſtituit, quibus ordinandis beneq; tractandis ipſe eſſe utique debebat bonum. Optima quippe latiſſimeque patens Chriſtianæ & perfectæ vitæ regula eſt; *Quiſquis eis* (bonis quæ propter aliud neceſſaria ſunt, quæ media à nobis vocari ſolent) *propter hoc utitur, propter quod data ſunt, benè facit. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis utitur, melius facit. Proinde iſta bona, cùm opus habemus, benè volumus, ſed meliùs ea nolumus quàm volumus: quia tunc melius nos habemus, cùm ea neceſſaria non habemus.* Verum iſtam carendi rebus non neceſſarijs æquanimitatem amor earum funditus tollit, nullaque urgente utendi neceſſitate, ſolâ ſe oblectandi fruendique voluptate, rebus dilectis utitur, & propterea abutitur. Solus igitur amor creatoris velut ultimi finis, per quem animus à cunctis creaturis avellitur, ad omnes indifferens, inalligatus, ſuperior omnibus, omnium judex unoque verbo liber ab omnibus, Deo videlicet ſimilis conſtituitur, rectè creaturis uti facit, juxta illud veriſſimum generaliſſimumque Auguſtini pronuntiatum: *Per hunc amorem creatoris benè quiſque utitur creaturis: ſine hoc amore creatoris nullus quiſquam benè utitur creaturis.*

*Lib. 5. cont. Iul. c. 16.*
*Lib. de bono coniug. c. 21.*
*Lib. 1 de lib. arb. c. 15.*
*Lib. de bono coniug. c. 21.*
*Lib. 4. con. Iul. cap. 3.*

Ex his effectibus alijſque pluribus qui proferri poſſent perſpicuum eſt, omnes hujuſmodi rerum creatarum amores, quantumcunque innocentes eſſe videantur, eſſe vincula, ægritudines, morbos, peſtes animorum, ſicut eos Auguſtinus paſſim vocat, eo ſæpè pernicioſiores, quo majori apud homines honeſtate palliantur. Ex quo fit, ut rectus, quietus, ſanus, ſalvus, & liber animus eſſe non poſſit, niſi ab illis omnibus ſolius amore creatoris refrenetur vel purgetur. Nam ut breviſſimè veriſſimeque Auguſtinus: *Sanitas, charitas.* Charitatis autem venenum cupiditas, hoc eſt, amor temporalium; *nutrimentum eius imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.*

*Lib. 83. q. 36.*

Quæ cùm ita ſint, & tam capitalis ſit cupiditatis, hoc eſt, terreni cujuſcunque amoris, quo creatura propter ſe diligitur, & charitatis repugnantia, effectuſque tam pernicioſi animæ rationali ex quocunque tali amore generentur, neſcio quomodo vel cogitandi libertate fingi poſſet, hujuſmodi amores creatarum rerum eſſe licitos, eiſque ſine labe conſcientiæ nos poſſe frui. Si enim lex æterna præſcribit, non poſſe nos, rebus quantumvis licitis nos oblectando, corporis noſtri viliſſimæ videlicet partis aut ſenſuum ejus lædere valetudinem; quanto arctiùs animam lex eadem ligat, ne frivolarum rerum cupiditatibus & voluptatibus ſuæ veriſſimę & unicę ſanitati afferat præjudicium, ut cui ſola ſub Deo ſervitus naturalis eſt, amiſsâ illâ ſummâ libertate rebus viliſſimis alligetur & ſerviat, omnium tempeſtatum ex amore naſcentium inquietudines ſubeat, pulchritudinem quâ ſub Deo major nulla eſt, terrenis ſordibus inquinet, ut obſcuratis oculis, quibus æterna veritas contemplanda eſt, nec aciem in creatorem ſuum poſſit erigere, nec verum à falſo in re dilecta, utendi neceſſitatem à fruendi voluptate, uſum ab abuſu judicij ſanitate diſcernere. Quæ ſanè neſcio cui parvæ labes & contemnendæ noxæ videri poterunt, niſi cui amores iſti & quaſi innocentes voluptates tanquam nullâ terrenâ lege prohibitæ faſtidium cæleſtium voluptatum, quibus hauriendis creati ſumus, affricuerint. Nam & iſte terreni cujuſcunque amoris non poſtremus effectus eſt, quem inſeparabili comitatu ſecum trahit, ſed plùs minuſve, prout animus profundiùs aut ſuſpenſiùs ſe creatis rebus immerſerit. Cum igitur omnis peccati ratio ex æternæ legis præſcripto, quæ ſumma ratio nominatur, ponderanda ſit; illaque non ſit alia, quàm *qua iuſtum eſt*, ſicut Auguſtinus tradit, *ut omnia ſint ordinatiſſima*; vel ut alibi dicit; *ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans*; quicunque creatarum

*Lib. 1. de lib. arb. c. 6.*
*Lib. 22. cont. Fauſt. c. 27.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tarum rerum amores, quibus propter ipſas di-
liguntur, & ad fruendum expetuntur, à pec-
cato excuſare volet, neceſſe eſt ut oſtendat, or-
dinatiſſimum eſſe, ut rationalis animus tan-
quam viva Dei imago Deo proximus, ad ejus
ſolius amorem conditus, caducis rebus, quas
invitus amittere poteſt, cum tanta noxa inne-
ctatur. Quod ſi è contrario cujuſcunque ſanæ
mentis judicio rectiſſimè dixit Auguſtinus:
*Iubet æterna lex avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum ad æterna convertere.* Et rurſum:
*Perverſi animi eſt & inordinati, eis ſequendis, per amorem, ſubjici, quibus ad nutum ſuum ducendis potiùs divino iure prælatus eſt*: quibus ictibus cun-
cti creatarum rerum amores moriuntur, per
quos hic animus occupari ſolet: & ſi omnis
ſobria ratio, veriſſimum utrumque eſſe, ordi-
nemque naturalem perturbari clamat, ſi in illa
lumina veritatis impingatur; quid ſupereſt,
niſi ut omnes hujuſmodi amores non ſolùm
imperfecti, ſed omnino vitioſi ſint, & quam-
cunque creaturam diligendo, eâque perfruen-
do peccetur. Quod cum ubique, & ſemper
fiat, niſi quando rationalis animus per creatu-
ram tanquam viam tranſiens, nil niſi patriam
cogitat: ut naturali ordini juxta naturæ ſuæ
dignitatem creatis reliquis ſupernatans, ſupra
creaturam, ſub creatore, ex unius ejus dilectio-
ne ſuſpenſus ſit, ex iſta facili, & generali, &
infallibili regula non erit difficile cuilibet ſtu-
dioſo Chriſtianæ vel humanæ perfectionis in-
telligere, quàm propè ad illud culmen ac-
ceſſerit.

L. 1. de lib. arb. c. 15. Cap. 16.

Nec verò moleſtè ferant infirmiores, quòd
tam ſublimem doctrinam S. Auguſtinus tra-
dat: ſed potius gratulentur ſibi, quòd igno-
rantiam rei tantæ, quæ ſive à ſcientibus ſive
neſcientibus prætermittatur eos reos facit,
oculis caligantibus detraxerit. Quòd ſi ta-
men eam vitæ praxi experiri cœperint, veriſ-
ſimam fortaſſis experientur, Pſaltis Regij ſen-
tentiam: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*: & quàm profundè Chriſtus Dominus no-
ſter dixerit: *Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit.* Anima-
bus enim veraciter ſanctis, nulloque humanæ
eruditionis obſtaculo præpeditis, Dei Spiritu
potiùs, quàm hominum magiſterio medullitus
inſculpitur, & inſculptam eſſe aliquando de-
prehendi; quas cor earum irrequieto ſtimulo
reprehendit, ſimulatque creaturarum ingreſſui
& affectibus patuit. Neque igitur indignentur
Auguſtino, ſi doctrinæ iſtius radices profun-
dius detexerit: quam etjam Recentiores, etſi
ſubinde fluctuando, etſi verum & imum fun-
dum ejus non penetrando, tradere conati ſunt.
Et ſanctus Thomas quidem non ſemel præclà-
rè docet, omnia opera noſtra in Deum eſſe re-
ferenda: *In hyacinthinis vittis, quæ pallijs inſerebantur, ſignificatur cœleſtis intentio; quæ omnibus operibus noſtris debet adiungi.* Et alibi: *Omnia quæ facimus debemus in Dei reverentiam facere.* Vn-
de illam Apoſtolicam ſententiam: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite*, ſic exponit, ut ſignificet,

Pſal. 110. Ioan. 7. S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. & 2. 2. q. 83. a. 4. ad 3. In 1. ad Cor. 10.

A *omnia facienda cum invocatione creatoris, eâ intentione ut laudetur & glorificetur Deus.* Et illam:
*Omnia veſtra in charitate fiant*, ad eundem mo-
dum explicat: *Omnia debent referri ad finem charitatis, ſcilicet ut fiant propter Deum & proximum.*
Quamobrem etjam in Summa Theologica de-
finitivè tradit non ſolùm ex conſilio, ſed ex
præcepto ad Deum omnia eſſe referenda: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideò præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum.* Et
in illa verba ad Coloſſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini* Iesv *Chriſti*: quidam dicunt, inquit, *quòd hoc eſt conſilium: ſed hoc non eſt verum.* Quam
doctrinam & S. Anſelmus & Lyranus &
alij expreſſerunt.

In 1. ad Cor. 16. 1. 2. q. 100. art. 10. Coloſſ. 3. Vide Anſ. in c. 3. Coloſſ. Lyran. in c. 10. 1. Cor.

Ex Recentioribus verò quidam aſſeveran-
B ter quidem tradunt ijſdem Apoſtolicis ſenten-
tijs, quas produximus, iſtam relationem ad
Dei gloriam non ſolùm conſilio, ſed præcepto
nobis eſſe commendatam: ſed radicem iſtius
præcepti non ſatis aſſequentes putant in bene-
ficijs Chriſti redemptoris Chriſtiano cuilibet
collatis eſſe fundatum; & idcircò infideles non
ſtringi vinculis ejus. Sed quamvis ea citra
dubitationem ſatis ſint, ut tale poſitivum præ-
ceptum Chriſtianis imponatur, rectiùs tamen
S. Thomas & Auguſtinus vim ejus ex iſtis ge-
neraliſſimis verbis diu ante Chriſti redem-
ptionem pronuntiatis petunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Quibus jus naturæ,
quòd creaturæ rationali poſitum & impo-
ſitum eſt, continetur; prout multis ex Augu-
ſtini ſenſu declaravimus. Et libro quarto de
natura lapſa, itemque primo de ſtatu naturæ
puræ, & quinto de gratia Chriſti Salvatoris
uberiùs adhuc oſtenſuri ſumus, ut ſcrupuli
C nonnulli, quibus aliquis diverſis ex cauſis tor-
queri forſan poſſet, eximantur.

Vide Guilielm Eſtium in 1. ad Cor. c. 10. v. 31. & in c. 13. v. 2. & in c. 16. v. 13. & in Epiſt. ad Coloſſ. c. 3. v. 17. Deuter. 6.

An verò actu, an virtute, an habitu ad
Deum omnia referenda ſint, in Auguſtini
mente nullam difficultatem habet. Ex ipſa
quippe natura principij iſtius, unde rem totam
arceſſit, perſpicuum eſt, ita eſſe in Deum re-
torquenda, ut mens dum agit, non in crea-
turæ, ſed in Dei dilectione requieſcat. Hoc
autem certiſſimum eſt in Auguſtini ſententia,
non ſolo habitu, qui nihil omninò in actum
influit, neque quicquam hîc & nunc agendo-
rum aut cavendorum in Deum aut creaturam
refert, ſed vel actuali vel virtuali intentione
id eſſe præſtandum, virtualis enim intentio
in actibus humanis idem facit, quod actualis.
Et quemadmodum imbecillitati humanæ im-
poſſibile eſt etjam in rebus naturalibus perpe-
tuò cogitationem, vel voluntatis intentio-
nem in finem, ſive profectionis alicujus, ſive
D alterius cujuſcunque civilis, aut moralis, aut
pravæ actionis defixam gerere; ita multo ma-
gis in rebus divinis: ubi pondere ſuo animus
ab ipſa cogitationis vel intentionis ſublimita-
te & perpetuitate deorſum premitur, ut &
cogitatione & voluntate circa ſuſceptam crea-
turam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turam vel actionem occupetur, quam propter Deum, hoc eſt, Dei intentione ſuſceperat. Sufficit igitur utrobique, ut quod agendum ſuſcipit, Dei intentione ſuſcipiat, & illius intentionis impetu ſeu virtute animum urgente vel propellente pergat, etſi actu amplius de Deo fortaſſe non cogitet. Sic enim videmus actiones non ſolùm naturales, & civiles, morales, ſive bonas ſive malas, ſed & ipſa Sacramenta peragi: in quibus omnibus & vulgari hominum judicio & communi Theologorum calculo virtualem adeſſe intentionem abundè ſufficit. Itaque S. etjam Thomas, quamvis aliquando habitualis meminerit intentionis, per eam tamen virtualem intelligit. *Pertinet*, inquit, *ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur, ut omnia virtute referantur*

*In quaeſt. Diſput. de Charit. a. 11 ad 2.*

A *in Deum &c. Et hoc modo Apoſtol. præcipit ut omnia in Dei gloriam referantur.* Et ibidem inferiùs: *Habitualiter refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens: ſed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præceptum: ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præceptum charitatis, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum ultimum finem*, videlicet non in habitu, ſed in actione quam exercemus. Quod nos toties juxta ſanctum Auguſtinum diximus, non habitu, ſeu habituali animi conſtitutione (quod omnibus juſtis, etjam venialiter peccantibus & dormientibus competit) ſed vel actu vel certè virtute iſtius actus quaſi remanente, in Deo velut fine requieſcere.

*Ad 3.*

## CAPVT XXI.

### Proximus, qui creatura eſt, quomodo diligendus.

VNA tantùm non ita operoſa difficultas, cujus ſolutio etjam ſuperiùs indicata eſt, hîc paulò fuſiùs explicanda, quid de proximi amore dicendum ſit. Teſtatur enim Scriptura, non tantùm Deum, ſed & proximum eſſe diligendum: qui tamen creatura eſt. Premit arctiùs hæc difficultas dum non apparet, quomodo proximus diligendus ſit, utendo an fruendo. Nam qui *neque fruitur neque utitur*, inquit Auguſtinus, *non invenio quemadmodum diligat.* Si proximo fruendum eſt, ruunt omnia quæ de vetita creaturarum fruitione diximus: neque enim proximus non eſt creatura. Si utendum, ergò diligendus videtur, ut ex eo temporale aliquod commodum capiatur: quod *deteſtabile vitium* idem Auguſtinus appellat.

*Lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 31.*

*Lib. de vera Relig. c. 46.*

Reſpondemus igitur proximum omninò eſſe diligendum, ſed propter Deum. Sic enim diligere proximum jubemur, ſicut noſ-met-ipſos, nos ipſos autem vitioſè diligimus, ſi propter nos diligimus. Hoc enim velut radicem vitiorum taxavit Apoſtolus, quando dixit: *Erunt homines ſe-ipſos amantes.* Et quia talis amor ſui non eſt amor, ſed potiùs odium ſui, quia malorum omnium fons, hinc eſt quòd cùm Deus toto corde Deum diligendum præcepiſſet, nullum mandatum de ſuiipſius dilectione ſubjecerit; ſed hoc unum duntaxat, ut ſicut nos ipſos proximum diligamus. Et quomodo proximum ſicut meipſum diligam, qui quomodo meipſum diligam non didicerim? Nimirum hoc ſaluberrimè nobis indicatum Spiritus Dei voluit, nullam eſſe aliam veram dilectionem ſui, quàm qua Deum ex toto corde diligimus. Quid eſt enim ſe diligere, niſi ſibi velle bonum? Quod verò tandem eſt ſummo bono excellentius bonum? Hoc ergò cùm Deum diligendo ſibi homo velit, fingi non poteſt major dilectio ſui, quàm dilectio Dei. Cumque tanto nobilior & purgatior ſit

*2. Tim. 3.*

A amor Dei, quanto magis homo à ſuiipſius conſideratione & reflexione diſceſſerit, tanto quoque nobiliùs perſpicaciùſque ſeipſum diligit, quanto magis ſui-ipſius obliviſcitur. Ita miro inter ſe certamine homo vacuando, & Deus implendo contendunt. Sic præceptum iſtud dilectionis Dei Auguſtinus intelligit: *Videtur*, inquit, *de homine ipſo, id eſt, de amatore ipſo nihil actum. Sed parum dilucide, qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri poteſt, ut ſeipſum qui Deum diligit non diligat: imo verò ſolus ſe novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille ſatis ſe diligit, qui ſedulò agit, ut ſummo & vero perfruatur bono.* Et alibi longè vehementiùs, cùm ex Euangelio docuiſſet, in iſtis duobus præceptis de dilectione Dei ex toto corde, & proximi tanquam ſui-ipſius, totam legem Prophetaſque pendere, nullâ factâ tertij præcepti de diligendo ſeipſo mentione: *Videlicet*, inquit, B *ut intelligeretur, nullam eſſe aliam dilectionem, qua quiſque diligit ſeipſum, niſi quòd diligit Deum. Qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt. Fit quippe iniquus, privaturque luce juſtitiæ, qui à potiore ac præſtantiore bono averſus; atque inde vel ad ſeipſum converſus, ad inferiora & egena utique convertitur: fitque in ipſo quod veraciſſimè ſcriptum eſt: Qui autem amat iniquitatem, odit animam ſuam. Quia igitur nemo niſi Deum diligendo diligit ſeipſum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei præcepto, etiam ſeipſum homo diligere juberetur; cùm in eo diligat ſeipſum, quòd diligit Deum.* Hujus ergò primi mandati cancellis vitam hominis circumſcribens, ut Deum omnibus ſuis facultatibus diligat, totâ videlicet voluntate ſuâ tanquam *ex toto corde*, ubi eſt principium primum impulſivum omnium motuum; & totâ intelligentiâ, tanquam *ex tota mente*, ubi eſt primum principium directivum; & tota vi appetendi inferiore, ut non repugnet ſuperioris partis imperio, tanquam *ex tota anima*; & tota vi exequendi id quod voluntas ac ratio impera-

*Lib. de mor. Eccl. cap. 26.*

*Epiſt. 52.*

*Pſal. 10.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

imperaverit, tanquam *ex tota fortitudine*, ſeu
Lib. 1 de doct. Chriſt. cap. 22. *totis viribus*, profectò *nullam vitæ noſtræ partem*
*reliquit*, inquit Auguſtinus, *quæ vacare debeat,*
*& quaſi locum dare, ut alia re frui velit. Sed quic-*
*quid aliud diligendum venerit in animum, illuc ra-*
*piatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Nimi-
rum hoc iſto capitali præcepto, ſi rectè intel-
ligatur, voluit Deus, ut omnis voluntas hó-
minis, omnis cogitatio, omnis actio, ſolo
ipſo tanquam omnium noſtrorum motuum
fine terminetur, vel ipſum ſolum, ſine inter-
jecto medio, diligendo, vel in ipſum ſiquid
aliud diligendum agendumque venerit, re-
torquendo. Quo principio vel potiùs omnium
actuum fine in anima hominis conſtituto, ut
jam ſeipſum noverit diligere, facilè eſt ei in-
telligere, quâ ratione illi proximus diligendus
ſit, quem tanquam ſeipſum diligere jubetur.
*Quid enim aliud per hoc mandatur*, inquit Au-
Lib. 10. de Civit. c. 4. guſtinus, *niſi ut ei quantum poteſt commendet dili-* B
*gendum Deum?* Nempe ut quem poterit ho-
minem vel corporalis beneficentiæ conſola-
tione, vel informatione doctrinæ, vel diſci-
plinæ coërcitione, vel alio quocunque bene-
ficij genere, adducat ad diligendum Deum,
ſciens in his duobus præceptis totam legem
Prophetaſque pendere.

Quicunq; hæc ita erga proximum præſtat,
proximum diligit. Hæc autem ei præſtat pro-
pter aliud non propter ipſum, quia propter
Deum quem diligit, ut eum ſimiliter proxi-
mus diligat. Vtitur ergò non fruitur proximo,
dum proximum diligit. Nam ut ſuprà dixi-
mus ex Auguſtino, hoc fruimur quod propter
ſe diligimus. Vnde idem quæſtione illâ pro-
poſitâ, utrum homines, cùm præcipitur ut ſe
invicem diligant, uti an frui ſe invicem, pro-
pter ſe, an propter aliud diligere jubeantur:
Lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 22. *Si enim propter ſe*, inquit, *fruimur eo; ſi propter*
*aliud, utimur eo*: ſententiam ſuam interpo- C
nit: *Videtur autem mihi propter aliud diligendus.*
*Quod enim propter ſe diligendum eſt, in eo conſtitui-*
*tur vita beata*: quæ non eſt conſtituenda niſi in
illo uno, & vero, & ſummo bono. Vtimur
ergò proximo, ſed non ſicut rebus tempora-
libus, ut ex eis commodum indigentiæ noſtræ
ſupplendæ capiamus; ſed ut perducatur nobiſ-
cum ad fruendum Deo. Nam neq; nobis ipſis

A aliter uti fas eſt, vel ullo modo debemus frui;
quia nec ſeipſum propter ſeipſum diligere de-
bet, ſed propter illum quo fruendum eſt. *Tunc*
*quippe eſt optimus homo, cùm totâ ſuâ vita pergit in* Lib. 1 de doct. Chriſt.
*incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.* c. 22.
*Si autem ſe propter ſe diligit, non ſe refert ad Deum;*
*ſed ad ſeipſum converſus, non ad incommutabile ali-*
*quid convertitur; & propterea jam cum defectu ali-*
*quo ſe fruitur; quia melior eſt cum totus hæret atque*
*conſtringitur incommutabili bono, quam cùm inde*
*vel ad ſeipſum relaxatur.* Quemadmodum ergò
nec nobis ipſis frui licet, ita nec proximo:
ſed ſicut nobis ipſis utimur, ita & proximo,
ad hoc videlicet nos totos utroſque referendo,
ut ſimul Dei bonitate perfruamur. Quòd cùm
opitulante Deo perfectum fuerit, tunc etjam
nobis invicem, ſed in Deo perfruemur. Iuxta
illud quod dicit ad Philemonem Paulus: *Ita*
*frater ego te fruor in Domino.* Et illud Pſalmiſtæ:
B *In Domino laudabitur anima mea.* Sed iſta fruitio Pſal. 33.
hominis in Deo, potiùs Dei quàm hominis
eſt fruitio. Gaudium enim iſtius fruitionis in-
de proficiſcitur, quod illa incommutabilis
forma divinæ juſtitiæ vel beatitudinis, quam
unicè diligebas, & cui hominem aptatum, di-
lectione & contemplatione conjunctum eſſe
cupiebas, in illo tandem ex Dei bonitate com-
pleta ſit. Quem enim propter Deum dilectum
eo fine diligebas, ut & ipſe Deum diligeret,
Deoque frueretur, poſtquam jam Deum dili-
git, eoque fruitur, propter eundum Deum
quem diligis de illius dilectione & fruitione
lætaris. Hoc & nihil aliud eſt frui hominem
Deo. Vnde Auguſtinus: *Cùm a tè homine in Deo* Lib. 1. de
*frueris, Deo potius quàm homine frueris. Illo enim* doct. Chriſt.
*frueris, quo efficieris beatus; & ad eum te veniſſe la-* cap. 33.
*taberis, in quo ſpem ponis ut venias.* Ex quibus
perſpicuum eſt, cùm toties diximus, & ex
Auguſtino declaravimus, amoris affectum à
C creaturis omnibus avellendum, nos de amore
inhærente, non tranſeunte loqui; de amore,
qui fruendis non utendis creaturis inhiat; de
amore denique qui in creaturam, non in Deum
ultimò terminetur. Et ita nullo modo eſſe
contraria, ut affectus omnes à creatis rebus di-
ligendis, quantùm poſſumus, comprimamus,
& tamen proximum ex Dei mandato toto pe-
ctore diligamus.

## CAPVT XXII.

### Doctrina præcedentium capitum applicatur ad motus concupiſcentiæ.

HÆc ſi vera ſunt, quæ de volunta-
tis actibus erga creaturas exercendis
vel comprimendis ſecundùm Augu-
ſtini doctrinam diximus, jam per ſe
elucet illa doctrina de motibus concupiſcentię,
propter quos tractatus de motibus voluntatis
illis conſentientis interpoſitus fuit. Cùm enim
non ſint aliud concupiſcentiæ motus, quàm
quædam *deſideria bonorum temporalium*, ſeu *in-*

A *clinationes animæ ad fruendum inferioribus*; cu-
juſmodi nominibus, ut ſuprà vidimus, eos
Auguſtinus appellat; fruitio verò bonorum
inferiorum, creaturæ rationali divinâ æternâ-
que lege ſit vetita, & ſolus conceſſus eorum
rationabilis uſus, perſpicuum eſt non licere
rationi talibus fruendi inclinationibus aſſen-
tiri. Sic enim opus eſt, ut *nos inter illa quæ infra* Lib. 6. Muſicæ c. 11.
*nos ſunt, & illa quæ ſupra nos ſunt, Deo & Domino*
*noſtro*

*noſtro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, ſolis autem ſuperioribus delectemur.* Quapropter illa generalis Chriſtianæ vitæ norma eſt, quam de rerum temporalium libidinibus ſeu amoribus tradit Auguſtinus: *Quod ad mores attinet, hoc bene & breviter dicitur: Aut confligendum eſt cum amore temporalium bonorum* (id eſt, cõcupiſcentijs) *ut non vincat aut etiã edomitus ſubditusque eſſe debet, ut cùm ſurgere cœperit, facilè reprimatur; aut ita extinctus, ut ſe omnino nulla ex parte commoveat.* Nam Chriſtiana militia non eſt alia, quàm cum cõcupiſcentia tumultuante, & nunc in hęc, nunc in illa bona proſiliẽte pugnare. Nihil enim ſibi aliud vult id quod Apoſt. dicit; *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Quibus verbis deſcribendo quid fiat, quid ab homine ſpirituali fieri velit, oſtendit. Nec aliud oramus quando dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*, quàm ne tentationi, hoc eſt concupiſcentiæ motibus conſentiamus. Vnde Auguſtinus: *Vt non ei conſentiamus, deprecamur adiutorium dicentes: Et ne nos inferas in tentationem &c. Non quod ipſe Deus tali tentatione aliquem tentet: nam Deus intentator malorum eſt, ipſe enim neminem tentat. Sed ut ſi fortè tentari cœperimus à concupiſcentia noſtra, adiutorio eius non deſeramur, ut in eo poſſimus vincere, ne abſtrahamur illecti.* Vnde ſtatim ſenſum illius Dominicæ petitionis eſſe dicit: *Adiuva ne abſtrahamur à concupiſcentia.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum: *Cùm generationis reatus regenerationis indulgentiâ fuerit abſolutus, obediendum eſt iuſtitiæ ſpiritui, cui conſentire; nec obediendum eſt concupiſcentiæ carnis, contra quam certare debemus.* Et in libro de natura & gratia: *Facere eſt ergo iuſtitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare.* Et in libris adverſus Iulianum: *Nunc enim neceſſe eſt ut repugnet, qui ei inſervire noluerit: neceſſe eſt ut ſerviat, qui repugnare neglexerit. Quorum ductuum unum eſt moleſtum, etſi laudabile; alterum turpe, & miſerabile.* quæ laus ac turpitudo repugnandi aut ſerviendi, in omnibus omninò temporalium rerum concupiſcentijs, ad quas naturæ noſtræ vel conſuetudinis propellit inſtinctus, ſimiliter locum habet. Nec opus eſt pluribus hoc ſtabilire. Hujuſmodi enim ſententiæ tanquam ex primis fundamentis Chriſtianæ religionis hauſtæ, ſexcenties in Auguſtino repetuntur. Sed hæc adjuncta ſuperioribus, quæ de concupiſcentiæ motibus ex ejus principijs latè diximus, ſufficere mihi videntur. Nunc ad argumenta, quæ capite undecimo propoſuimus, diſſolvenda veniamus.

*Quæſt. 11. in Matth.*

*Galat. 6.*

*Lib. 2. de pec. merit. c. 4.*

*Lib. 2. op. imperf. c. ...*

*Cap. 62.*

*Lib. 5. c. 3.*

# CAPVT XXIII.

## Solvuntur argumenta capite undecimo propoſita.

AD primum igitur argumentum non eſt operoſum reſpondere. Verum eſt enim, virtutem, paſſiones, ut ibi dicitur exceſſivas fugere, mediocres admittere. Nimirum quia ipſa virtus eſt, quæ medium in paſſionibus ponit, & eas ordinat: hoc autem non in eo ſitum eſt, ut propter ſe voluptas ex cibo & potu, vel uxore appetatur: verùm ut affectibus animi imponatur frenum & modus, ne rationem ſuo impetu tranſverſam agant, ſed potiùs rationis ordinem ſequantur. Hoc eſt, ut quantum, ubi, quando, quomodo oportet interiùs appetatur, & exteriùs uſurpetur. Hoc autem ex fine metiendum eſt. Nam quemadmodum juxta ſanctum Dionyſium ψυχῇ κακὸν τὸ πάρα λόγον, *animæ malum eſt præter rationem*: ita bonum ejus ſecundùm rationem. Præcipuus autem ordo & bonum rationis in eo ſitum eſt, ut media ad finem ordinet; cùm & bonum habeat rationem finis, & finis ſit tota regula mediorum. Omnia verò delectabilia ſive guſtus ſive tactus, ordinantur ad aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſicut ad finem, cibus & potus ad individui, concubitus ad ſpeciei ruinas reſtaurandas. Et ideò virtus, quæ circa voluptates illas moderandas verſatur, neceſſitatem vitæ velut regulam delectabilium iſtorum reſpicit. Nimirum ut quemadmodum nihil iſtorum propter ſe inſtitutum eſt, ita nihil iſtorum per ſe & propter ſe homo ſibi appetendum vel admittendum putet; ſed tantum dumtaxat, quantum finis iſte poſtulaverit. Quod præclarè paucis verbis, ſed valdè generalibus pro quocunque rerum temporalium uſu moderato Auguſtinus aperuit: *Habet vir temperans in huiuſmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Teſtamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.* Ecce modum, quem temperantia imponit paſſionibus, nempe talem, ut nec ipſa paſſio appetendi talia propter talia relaxari debeat, ſed tantummodo propter vitę & officiorum neceſſitatem, ſicut recta ratio, vera moderandarum paſſionum norma præſcribit.

*Dionyſ. lib. de divinis nominibus cap. 4.*

*Lib. de mor. Eccl. cap. 21.*

Ex quo etjam vis tota ſecundi & quarti argumenti evaneſcit. Nam quamvis neque res delectabiles, neque ipſa delectatio, ſeu voluptas mala ſit, ſed indifferens, & ideò nullo ſpeciali præcepto vetita, ipſam tamen propter ipſam concupiſcere ac diligere vetitum eſt. *Amari enim poteſt res bona amore non bono.* Quibuſdam enim eſſe bona, multo minùs eſſe indifferentia, non eſt ſatis ut diligantur, ſed opus eſt ut ſicut propter aliud ſunt, ita propter aliud aſſumantur ac diligantur; hoc autem non eſt illa diligere, nec propter ſe appetere, ſed per illa, fixâ in aliud dilectione tranſire.

*Aug. lib. contra ſecundin. c. 16.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tranſire. Non opus eſt igitur adeſſe circum- A ſtantiam, qua dilectio ſeu appetitio eorum fiat mala; ſed ſufficit abeſſe circumſtantiam, qua ad appetendum ac diligendum fiant bona. Non enim corporeis hujuſmodi rebus fruendum, ſed utendũ eſt; ipſa verò propter ipſa concupiſcere, multoque evidentiùs ipſa propter voluptatẽ appetere, ut iſti Recentiores volunt, hoc & nihil aliud eſt, quàm eis velle frui, quod divina æternaque lege prohibemur. Ex cujus regulæ conſideratione dicebat jam ſtatim de rebus fluentibus à temperante viro appetendis Auguſtinus: *Vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet.* Ex qua tam appoſitè dicit alibi, quaſi ex profeſſo argumentum iſtud ſibi refellendum delegiſſet: *Cum tu malum dicas, cui conſentiendo anima peccat, ego bonum dico in genere ſuo, ſed tale bonum, cui animam quæ eſt melior, conſentire non decet. Cum enim ſit ipſa corpore ſuperior, Deumque habeat ſe ſuperiorem, quamvis in* B *ordine ſuo natura corporis bona ſit, peccat tamen anima, & peccando fit mala, ſi conſenſionem dilectionis, quam ſuperiori Deo debet, inferiori corpori adjungat.*

Ibid.

Ad tertium dicimus, ex eo quod matrimonium eſt licitum, rectè ſequitur licitum eſſe concubitum; ſed ſicut non idcircò matrimonium propter voluptatem carnis appeti poteſt, ita neque concubitus. Aliud eſt enim concubitum delectabilem appeti & admitti poſſe, aliud propter delectationẽ aucupandam appeti poſſe. Pervertitur enim hic ordo naturalis æternâ lege præſcriptus, quæ jubet, ut neque matrimonium, neque concubitus ad libidines carnis voluptate ſatiandas, ſed ad proles ordinatâ ſocietate propagandas appetantur. Infallibilis enim legis æternæ eſt ſententia ſanctiſſimi Doctoris ore de hac ipſa cibi, potûs, & conjugij appetitione pronunciata: *His bonis quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc* C *propter quod inſtituta ſunt, utitur, peccat alias venialiter, aliàs damnabiliter.* Iam verò non ſolùm concubitus propter prolem, ſed & ipſa voluptas ejus propter concubitum, non concubitus propter voluptatem; ſicut & ſapor propter cibum inſtitutus eſt; nimirum ne fortè ſenſus animantis aſperitate concubitus aut cibi & potus offenſus, res toti generi & individuo fulciẽdo neceſſarias abhorreret. Hunc ordinem naturæ turbat, qui voluptatibus carnis ex illarum rerum uſu venandis inhiat; nec illis uti, ſed abuti, vel potius frui velle convincitur; & ita alium longe ſublimiorem utendi & fruendi perturbat ordinem, quem lex æterna conſervari jubet, perturbari vetat.

Lib. de bono conjugali c. 9.

Ad quintum argumentum reſponſio ex prædictis intelligi poteſt. Diviſio enim voluptatum in licitas & illicitas non eo ſenſu accipi debet, quaſi quibuſdam voluptatibus licitum eſſet frui, quibuſdam illicitum, hoc eſt, quaſi quaſdam nudè propter ipſas expetere liceret, D alias non liceret: ſed iſto potiùs, quòd quædam voluptates ex objecto licitæ ſint; ſive, quod in idem redit, quòd quædam res, quarum uſus voluptate ſenſus noſtros afficit, divinâ lege conceſſæ ſint, aliæ non conceſſæ. Nam cibus, potus, concubitus conjugalis, cantica honeſta, ſuavis odor, & ſimilia, quorum ſuavitate ſenſus afficitur, licita ſunt, quia nullâ lege prohibentur; Fornicatio verò, adulterium, eſus carnium in quadrageſima, dulcia cantica impudica, & hujuſmodi, quæ ſenſus noſtros non minore voluptate perfundunt, ſunt illicita. Sed ſicut non propterea, quòd illorum delectabilium ſeu voluptatum, quas antè recenſuimus, uſus licet, etiam abuſus licet; ita nec illa delectabilia ſeu illas voluptates propter ipſas appetere licet, ſed propter fines quibus aſſequendis divinitus inſtitutę ſunt. Virtus enim vera non ſolùm imponit modum delectationibus atq; paſſionibus quantum ad objectum, ejuſque quantitatem, tempus, locum, ceteraſque circumſtantias; ſed in primis quantum ad finem. Bonum quippe hominis eſt quod ſecundùm rationem: ratio verò recta in agendis præcipuè reſpicit finem: quem propterea etiam voluntas velut bonum ſuum appetit. Hunc eſſe verum Auguſtini ſenſum ex diverſis locis ejus apertiſſimum eſt, ſed maximè ex illo Sermone decimo ſeptimo de verbis Apoſtoli, ubi rem iſtam ex profeſſo tractat. *Delectant quædam naturaliter infirmitatem noſtram, ut cibus & potus delectant eſurientes atque ſitientes: ut nos delectat hæc lux, quæ de cœlo funditur Sole exorto, vel quæ ſideribus & Lunâ fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus conſolantibus tenebras oculorum: delectat canora vox & ſuaviſſima cantilena; delectat odor bonus: delectant etiam tactum noſtrum quæcunque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia quæ nos delectant in ſenſibus corporis aliqua licita ſunt. Delectat enim, ut dixi, oculos & ſpectacula iſta magna naturæ: ſed delectant oculos etiam ſpectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Pſalmus ſacer ſuaviter cantatus delectat auditum: ſed delectant auditum etiam cantica hiſtrionum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant olfactum flores, & aromata; & hæc Dei creatura: delectant olfactum etiam thura in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectat guſtum cibus non prohibitus, delectant guſtum etiam epulæ ſacrilegorum ſacrificiorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant conjugales amplexus; delectant etiam meretricum. Hoc licitè, illud illicitè.* Ex his ſubnectit illa verba, quæ in objectione citavimus. *Videtis ergò chariſſimi etiam in iſtis corporis ſenſibus licitas eſſe & illicitas delectationes.* Quo ex loco perſpicuum eſt, non ideò delectationes illas licitas dici, quaſi licitum eſſet eas quovis vel modo vel fine percipere: ſed quia rerum iſtarum delectabilium, dum debita moderatione ſumuntur, uſus non eſt vetitus, imò ſæpè præceptus; ſicut eſt vetitus earum quas illicitas vocat. Nunquã enim fornicari, aut adulterari, aut impudicis ſpectaculis oculos paſcere ſive moderatè ſive immoderatè licet. Et hinc eſt, quòd ex illis ipſis quas hic vocavit, licitis voluptatibus cibi & potus, aliã vocat *modeſtã & naturalẽ*, cùm tanta adhibetur, *quanta ſuſtentationi naturæ, ſalutique ſufficit*; aliam *immoderatam*, quæ limitem illum prætergreditur. Quas verò hic vocavit voluptates

Serm. 17. de verb. Apoſt. cap. 2.

Lib. contra Adimant. cap. 14.

luptates licitas & illicitas, eas alibi eodem A ſenſu vocat res *conceſſas*, & non *conceſſas*. Licita enim voluptas dicitur, quæ ex re conceſſa; illicita, quæ ex inconceſſa capitur. Sed in illis ipſis conceſſis rebus, & conſequenter in earum captandis voluptatibus, culpat exceſſum. De concubitu enim conjugali & meretricio diſputans: *Tantùm*, inquit, *valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum conceſſis, etiam cùm modus exceditur, longè ſit tolerabilius, quam in eis quæ conceſſa non ſunt, vel unus, vel rarus exceſſus. Et ideò in re conceſſa immoderatio conjugis, ne in rem non conceſſam libido prorumpat, toleranda eſt.* Vbi tamen de illo ſolo exceſſu tolerando loquitur, qua conjux cum conceſſa conjuge ſolius voluptatis causâ, quam alibi licitam appellaverat, commiſcetur. Ex quo fit, ut voluptatem licitam, hoc eſt, rei non prohibitæ, reddat ipſe abuſus illicitam. In quo genere non ſolùm abuſus eſt, cùm capitur, ubi, quantum, vel quando non debet; B ſed etjam cùm capitur propter quod non debet, hoc eſt, cùm voluptas propter voluptatem expetitur. Hoc eſt enim non voluptate & ipsâ re conceſsâ uti, ſed velut bono creaturæ rationalis frui. Abſit verò, ut optimè dixit olim Tullius *idem eſſe arietis, & Scipionis Africani bonum.* Nam hujuſmodi bonum arietis appetitu carnali concupiſcitur: *Nullo autem modo fieri poteſt*, inquit Auguſtinus, *ut carnali concupiſcentia bonum hominis concupiſcatur.*

*Lib. de bono conjug. c. 11.*

*Apud Aug. lib. 4. cont. Iul. cap. 12. 6. cont. Iul. c. 16.*

Ex his intelligi poteſt ſimilis amoris diviſio in licitum & illicitum. Quædam enim licitè diliguntur, quædam illicitè. Licitè diligitur parens, filius, uxor, conſanguineus, amicus, vel alio ſimili vinculo copulatus; illicitè meretrix, uxor aliena &c. Tradit iſtam diviſionem Auguſtinus in Sermonibus: *Charitas*, inquit, *alia eſt divina, alia humana: alia eſt humana licita, alia illicita.* Licitam vocat, *quæ non reprehenditur* C illicitam *quæ damnatur*: illam dicit eſſe, *qua uxor diligitur, filij, amici, cives*: hanc verò, qua *meretrix, vel uxor aliena.* Illam non ſolùm eſſe licitã, ſed ita præceptam, ut ſi defuerit, reprehendatur. Nam *ſi tali*, inquit, *quiſque crudelitate fertur, ut perdat etiam humanum dilectionis affectum, & non amet filios ſuos, & non amet conjugem ſuam, nec inter homines numerandus eſt. Non enim laudandus eſt qui amat filios ſuos, ſed damnandus eſt qui non amat filios.* Rectiſſimè: ſiquidem amor iſte etjam ſecularis, non divinus ex objecto bonus eſt, & ita divina lege præceptus, ut ſiquis non amaret homines hujuſmodi humanæ neceſſitudinis vinculo ſociatos meritò velut peccati reus plecteretur. Sed aliud eſt humanam iſtam dilectionem adeſſe debere, & ſine peccato abeſſe non poſſe, aliud ſufficere. Eodem quippe modo cibi & potus uſurpatio, non ſolùm licita, ſed præcepta eſt, uſque adeò ut qui cibis uti detrectaret, velut homicida D ſui-ipſius reus haberetur, ſed non propterea ab alterius legis vinculo immunis eſt, qua cibus, & potus, ipſaque vita, propter quam ſumitur cibus & potus, in finem unicum & verum creaturæ rationalis referendus eſt; ne

*Serm. 52. de tempore c. 1.*

*Cap. 2.*

*Ibid.*

alioquin pro creatore fruens creaturis, ſive ſeipſo ſive quacunque alia perturbet ordinem naturalem utendis fruens, vel fruendis utens, *quæ*, teſte Auguſtino, *omnis humana perverſio eſt*, æternaque lege prohibetur. Sic ergò dilectio parentum, conjugum, liberorum, & ſimilium, divinâ & naturali lege mandata eſt; ſed non ita, ut in iſtis vel officijs dilectionis, vel ijs quibus exhibentur, hærere ſufficiat. Erigendus eſt eò animus, quo creaturam illam erigi decet, cui Deus eſt unicum & verum bonum, & finis omnium actionum ac dilectionum ultimus, quò debent cuncta collimare, atque pertendere. Sic enim implebitur illud præceptum, quo proximum & inter illos maximè propinquiores diligere jubemur, ſicut noſmetipſos. De cujus præcepti ſenſu ſuprà diſſeruimus. Quapropter idem Auguſtinus, qui amorem illum licitum eo quo dixi ſenſu appellaverat, ita in eodem ſermone de dilectione altiùs ſubvehenda ſubjungit: *Amate filios veſtros, amate conjuges veſtras, etſi ſeculariter. Nam ſecundum Chriſtum amare debetis, ut ſecundum Deum illis conſulatis, & non in eis niſi Chriſtum diligatis.* Itaque duo hic quaſi præcepta ſunt, alterum diligendi, alterum propter finem ultimum diligendi. Qui primum implet ſine ſecundo, non peccat, ſed laudabiliter facit diligendo, ſed vituperabiliter facit non propter finem ultimum diligendo. Itaque nudè diligendo, bonum quidem facit, ſed ipſum bonum non benè facit. Vnde alibi apertiſſimè Auguſtinus: *Noveris non officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt quod faciendum eſt: Finis verò, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et paulò poſt peccatum eſſe dicit nudum operire, non propter Deum, hoc eſt, pauperem diligere non propter Deum: *non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt: ſed de tali opere non in Domino gloriari* (id eſt, non propter Deum dilectum illud facere) *ſolus impius negat eſſe peccatum.* Vnde quod in ſuprà citato Sermone ſubijcit: *Quando & humanitus diligis uxorem, ſed plus dilige Chriſtum. Non dico ut non diligas patrem, non dico ut non diligas filios, ſed plus dilige Chriſtum*: non quaſi omni ex parte licitum permittat, eos diligi ſine ordine ad Deum, ſed ſatagit ut ſaltem hoc ab imperfectis hominibus impetret, ne Chriſto illos diligendo præponant, ſi ab alterutris deſerendi fuerint. Nam amorem illum, quo carnaliter amici conjugeſque diliguntur, alijs in locis, loco ligni, ſtipulæ, & fœni habet, quæ in die Domini exurenda ſunt. Quod manifeſtiſſimè docet in libris de Civitate Dei: *Quicunque non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem utitur voluptatem, ſed ipſa quæ ab hujuſmodi delectationibus aliena ſunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo, Chriſto anteponit, non eum habet in fundamento: & ideò non per ignem ſalvus erit, ſed ſalvus non erit* &c. *Verum qui has neceſſitudines ſic amat carnaliter, ut tamen eas Chriſto Domino non præponat, ma-*

*Lib. 83. q. 30.*

*Ibid.*

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

*Ibid.*

*Lib. 21. cap. 26.*

UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN

*nas, malitque ipſis carere, quàm Chriſto, ſi ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem ſalvus erit: quia ex earum amiſſione tantum neceſſe eſt urat dolor, quantum hæſerat amor.* De puro vero amore, quo verè talis neceſſitudinis nomina à Chriſtianis diligenda ſunt, ſic annectit: *Porro qui Patrem, matrem, filios, filiaſque ſecundum Chriſtum dilexerit, ut ad eius regnum obtinendum eique cohærendum illis conſulat, vel hoc in eis diligat, quod membra ſunt Chriſti, abſit ut iſta dilectio reperiatur in lignis, fœno, & ſtipula conſumenda, ſed prorſus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur.* Sed de modo diligendi & benefaciendi fuſiùs nonnihil infrà de operibus infidelium tractando, diſſeremus.

Ad poſtremum de appetitu ſenſitivo dicimus, non ſequi eſſe malum, ſed imperfectum. Fertur ille in objecta ſenſibus grata, & ibi hæret: non enim novit altiùs aſſurgere, vel aliò referre quod appetit. Hoc enim officium rationali voluntati proprium eſt, nec ab illo invadi debuit. Quòd ſi etiam voluntas cum illo in ſenſibilibus hærere velit, non eſt hoc malum appetitûs, ſed culpa voluntatis. Non enim quia non omnia facit, ideo malũ eſt quod facit. Oculo remus in aqua frangi videtur, cùm inde aufertur integrari; ſiquis idem mente judicet, non malum habet internuncium, ſed malus eſt judex. Nam ille pro ſuæ naturæ conditione non potuit aliter in aqua ſentire, nec aliter debuit. Si enim aliud eſt aër, aliud aqua, juſtum eſt ut aliter in aëre, aliter in aqua ſentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus eſt, ut tantùm videat: ſed animus perversè judicat, cui ad cernendam veritatem mens non oculus factus. Transfer iſtud ad appetitum, & voluntatem. Ille in ſuo genere quamvis inferiore bonus, opus proprium, ſicut naturâ inſtitutus eſt, operatur: hæc verò ſuperior, cui actionem longè præſtantiorem, ſumma moderatrix rerum juſtitia tribuit, ſi illum inferiorem quamvis bonum ſequi & imitari voluerit, peccando fiet mala; non quia malum, ſed quia malè imitatur. Ab illo enim agitur proprium, ab hac appetitur alienum. Vnde ille in ſuo gradu inculpatus manet; hæc delinquendo ad inferiora demergitur. Pulchrè incedit quadrupedans equus: at ſi hoc homo pedibus manibuſq; imitetur, quis eum vel palearum cibo dignum putet? Rectè enim plerumque improbamus imitantem, cùm eum quem imitatur probemus. Improbamus autem, non quia non ſit aſſecutus, ſed quia omnino aſſequi voluit. In equo enim probamus illud: cui quantùm præponimus hominem, tantùm offendimur, quòd inferiora ſectatur. Non ergo idcirco appetitus ſenſitivus malus haberi debet, quia nos cùm illum rationali voluntate ſequimur corporeas voluptates diligendo, ſicut ipſe diligit, mali ſumus. *Propterea enim,* inquit Lib. de duab. animab. c. 13
Auguſt. *corporea diligendo peccamus, quia ſpiritalia diligere & juſtitia jubemur, & naturâ poſſumus:* quod ille non poteſt, *& tunc in noſtro genere optimi & beatiſſimi ſumus.* Sed hoc eſt malum appetitûs ſenſitivi: quòd corporea præcipitanter diligit, & rationem præcurrendo, quam ſequi debuit, importuniſq; motibus titillando, voluntatem ad ſe ſequendum occultâ, & blandâ, & efficaci quâdam ſuaſione traducit. Sed illa non eſt natura inſtituti appetitus, ſed pœna dãnati.

## CAPVT XXIV.

### Nullum peccatum nunc committitur, niſi concupiſcentiæ conſentiatur.

SATIS ex Auguſtino hactenus declaravimus, omnem aſſenſum voluntatis, quo libidini ſeu concupiſcentiæ creatis rebus, boniſque temporalibus inhianti ceditur, ut id quod homo facit propter ipſam faciat, eſſe peccatum. Nunc juxta principia ejus conſiderandum eſt, utrum etiam omne peccatum eidem concupiſcentiæ conſentiendo committatur: hoc eſt, utrum ſicut omnis conſenſus eſt peccatum, ita vice versâ, omne peccatum ſit conſenſus; ſive, utrum nunc nullum peccatum aliter niſi concupiſcentiâ voluntatem provocante, & voluntate concupiſcentiæ conſentiente, perpetretur. Non eſt à nobis hic ſermo de peccato primi hominis, ſed de illis tantùm, quæ poſt lapſum humani generis à ſcientibus fiunt.

In qua quæſtione non minùs manifeſta eſt Auguſtini ſententia, omnia hujuſmodi peccata poſt illud primum, concupiſcentiâ incitante & voluntatis aſſenſum impetrante, perpetrari.

Conſtat hoc primò ex eo, quòd frequenter docet, omne peccatum præcedente tentatione committi, neque tentari nos poſſe niſi per partem illam animalem, quæ motibus concupiſcendi ſubjacet. Nam de tentatione mulieris per ſerpentem ſeu diabolum agens, ſic loquitur: *Sed tamen per mulierem decipit: non* Lib. 2. de
*enim etiam ratio noſtra deduci ad conſenſionem pec-* Geneſ. cont.
*cati poteſt, niſi cum delectatio mota fuerit in illa parte* Manich. c. 14
*animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque noſtrûm nihil aliud agitur, cum ad peccatum quiſque delabitur, quam tunc actum eſt in illis tribus, ſerpente, muliere, & viro. Nam primò fit ſuggeſtio, ſive per cogitationem, ſive per ſenſus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel guſtando, vel olfaciendo: quæ ſuggeſtio cum facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non moveatur ad peccandum, excludetur ſerpentis aſtutia: ſi autem mota fuerit, quaſi mulieri jam perſuaſum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compeſcit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commoverit, faciendum eſſe decernat, ab omni vita*



beata

*beata tanquam de paradiſo expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamſi non ſubſequatur factum, quoniam rea tenetur conſenſione conſcientia.* Et

Ibid. inferiùs: *Quare ergo ita dicitur (ponam inter te inimicitias & mulierem,* id eſt partem inferiorem) *niſi quia hinc manifeſtè oſtenditur, non poſſe nos à diabolo tentari, niſi per illam animalem partem, quæ quaſi mulieris imaginem, vel exemplum in uno ipſo homine oſtendit? De qua ſuperiùs iam multa diximus:*

In Pſal. 83. Eandem doctrinam tradit in Pſalmos: *Adam non eſt ſeductus, Mulier autem ſeducta eſt.* Poſtea enim *Adam conſenſit mulieri, nam à ſerpente mulier ſeducta eſt.* Ecce figura omnium tentationum, quas poſt Adæ lapſum in hac vita perpetimur. Sic enim adijcit: *Nec modò poteſt aliqua mala ſuaſio, niſi carnis tua* (id eſt partis inferioris) *primò deſiderium commoverit, cui poſtea ſi mente conſenſeris, cecidit & paſſer &c.* Et in alio Pſalmo

In Pſal. 143 tractans illud: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum &c. *Et hoc grave bellum,* inquit, *& quod eſt moleſtius, internum. In quo bello ſi ſit quiſque victor, illos quos non videt inimicos continuò ſuperabit. Non enim tentat Diabolus vel Angeli eius, niſi quod in te carnaliter dominatur. Nam quomodo vincimus illos hoſtes quos non videmus, niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus?* Quamvis autem progreſſus ille diabolicæ tentationis, quo per mulierem in Adamum tranſijt, aptiſſima hujus rei figura fuerit, non tamen ex illa, ſed ex Apoſtoli Iacobi doctrina videtur Auguſtinus illam hauſiſſe ſententiam. Nam ille cùm beatum prędicaſſet virum, qui ſuffert tentationem, per hoc indicans nullum peccatum cõmitti poſſe, niſi ſollicitante tentatione via præparetur, ſta-

Iacob. 1. tim originẽ omnis tentationis explicat: *Nemo,* inquit, *cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Vnde ergo tentationes, ſi non à Deo? *Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Vbi ſatis apertè docet, non tentari hominem niſi ex concupiſcentia. Si enim aliunde tentatur, non rectè dixiſſet univerſaliter: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua:* neque rectè dum removet tentationem à Deo, ſoli concupiſcentiæ eam tribuiſſet. Sic

Lib. de dono perſev. c. 6. intellexit hunc locum Auguſt. *Quiſquis,* inquit, *in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem ſuæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem ſuæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorſus infertur. Vnuſquiſque enim tentatur, ut ſcriptum eſt, à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Quaſi diceret; omnis enim tentatio malæ voluntatis ex concupiſcentia ſurgit. Et in libris adverſus

Lib. 5. cont. Iul. c. 4. Iul. *Quid eſt quod quotidie dicimus: ne nos inferas in tentationem, niſi ut non tradamur concupiſcentijs noſtris? Vnuſquiſque enim tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Vnde cùm libro ſexto, de concupiſcentiæ peccatis diſputans, eundem

Lib. 6. c. 15. Apoſtoli locũ protuliſſet: *Concupiſcentia,* inquit, *non parit niſi conceperit, non concipit niſi illexerit, hoc eſt, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis aſſenſum. Quod ergo adverſus eam dimicatur, hoc agitur ne concipiat pariatque peccatum.* Et ſtatim omnia omnino peccata ſub illis concupiſcentiæ par-

A tubus comprehendens addit: *Dimiſſis itaque in baptiſmo peccatis omnibus, id eſt, omnibus concupiſcentiæ fœtibus &c.* Et hinc eſt, quod Auguſt. etjam non aliter duas illas orationis Dominicæ petitiones: *Ne nos inducas in tentationem:* &: *Dimitte nobis debita noſtra,* exponere ſolet, niſi ut à concupiſcentiæ tentationibus eruamur, & ejuſdem concupiſcentiæ ſuperantis peccata dimittantur. Nam hoc ſibi volunt de tentatione concupiſcentiæ illa verba paulo antè citata: *Quid eſt quod quotidie dicimus. Ne nos inferas in tentationem; niſi ut non tradamur concupiſcentijs noſtris?* Lib. 5. c. 4.
Quaſi diceret, nihil aliud petimus niſi ut non tradamur coucupiſcentijs noſtris. Hoc ſibi vult evidentiùs, quando dicit: *Vt non ei conſentiamus,* Lib. de bono ... c. ...
*deprecamur adiutorium dicentes: Et ne nos inferas in tentationem; vel ſicut nonnulli codices habent; ne nos inducas in tentationem. Non quod ipſe Deus tali tentatione aliquem tentet: nam Deus intentator malorum*
B *eſt: ipſe enim neminem tentat; Sed quod ſi forte tentari cœperimus à concupiſcentia noſtra, adiutorio eius non deſeramur, ut in eo poſſimus vivere, ne abſtrahamur illecti.* De altera verò petitione longè apertiſſimè idem docet. Nam in Epiſtola ad Aſellicum cùm citaſſet illa verba Scripturæ: *Poſt* Epiſt. ...
*concupiſcentias tuas non eas,* ſic ſubjungit: *Quod quidem tam magnum eſt, ut ſi omnimodo fieret, & quamvis inſint, dum ſumus in corpore mortis huius, deſideria peccati, nulli eorũ tamen adhiberemus aſſenſum, non eſſet unde diceremus Patri noſtro qui eſt in cœlis: Dimitte nobis debita noſtra.* Et in libro de natura & gratia de eadem petitione loquens: *Per hoc,* inquit, *quotidianum ſpiritale quodam-* Cap. 35.
*modo incenſum, quod ante Deum in altare cordis, quod ſurſum habere admonemur infertur, etiamſi non hic vivatur ſine peccato, licet mori ſine peccato, dum ſubinde veniâ deletur, quod ſubinde ignorantia vel infirmitate committitur.* Vbi nos mori dicit poſſe ſine peccato, deletis tantum-
C modo peccatis infirmitatis & ignorantiæ. Nam infirmitas & concupiſcentia apud Auguſtinum idem ſunt. Et in libro de perfectione juſtitiæ de concupiſcentia, ſeu, ut Apoſtolus vocat, peccati deſiderijs agens: *Videat,* inquit, Cap. ult.
*quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus: dimitte nobis debita noſtra. Quod niſi fallor non opus eſſet dicere, ſi nunquam vel in lapſu linguæ vel in oblectanda cogitatione eiuſdem peccati deſiderijs aliquantulum conſentiremus, ſed tantummodo dicendum eſſet: Ne nos inferas in tentationem.* Et in libris ad Bonifacium: *Nec propter ipſam, cuius tam reatus* Lib. 1. ad Bonif. c. 13.
*lavacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: dimitte nobis &c. ſed propter peccata quæ fiunt, ſive in eius conſenſionibus, cum ab eo quod libet, vincitur id quod placet, ſive cum per ignorantiam malum quaſi bonum placet.* Vnde utramque petitionem conjungens libro ſecundo de peccatorum meritis: *Sic ergo totum hoc* (negotium vivendi ſine peccato) *in tribus beneficijs poſitum*
D *breviter peti poteſt: Ignoſce nobis ea in quibus ſumus* Lib. 2. c. 4.
*abſtracti à concupiſcentia,* id eſt, dimitte nobis &c. *adiuva ne abſtrahamur à concupiſcentia* id eſt, ne nos inducas in tentationẽ, *aufer à nobis concupiſcentiam,* id eſt, libera nos à malo. Itaque in Epiſt. 29. ad S. Hieron. apertiſſimè profitetur, omne

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur, omne peccatum ex aliquo vitio tanquam A peccati fomite proficiſci: *Sunt plurimi tales, (pudici) quorum ſine aliquo peccato eſſe neminem dixerim: & utique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit.* Et paulo inferiùs: *Si omnes ibi (in religioſis conjugatis) eſſent virtutes, nullum eſſet vitium: ſi nullum vitium, nullum omnino peccatum. Quis autem ſine aliquo peccato? Quis ergo ſine aliquo vitio, id eſt, fomite quodam, vel quaſi ſine radice peccati.*

*Epiſt. 29. ad Hieron.*

*Ibid.*

Secundò eadem ſententia ex eo conſtat, quòd ſæpè docet, nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliqua delectatio: quam delectationem nihil aliud eſſe ſentit quàm rerum delectabilium libidinoſum deſiderium, juxta id quod ſuprà de delectatione diximus. Itaque in libris contra Fauſtum, ubi de frenandis & relaxandis delectationibus, hoc eſt, concupiſcentijs rerum delectabilium agit: *Si nihil delectaret*, inquit, *illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potius quàm refrenat.* Et in ſermonibus de verbis Apoſtoli: *Quidquid eſt peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur niſi ex mala cupiditate, non exoriuntur niſi ex illicita delectatione. Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtamus, ſi non conſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mortali corpore.* Qua conſideratione paulo pòſt in eodem ſermone dicit, nihil aliud eſſe ſecundum carnem ambulare (ſub quo omnia peccata continentur) quàm carnalibus concupiſcentijs conſentire: *Quid eſt ſecundum carnem ambulare? Carnalibus concupiſcentijs conſentire. Quid eſt ſecundum ſpiritum ambulare? adjuvari ſpiritu in mente, & concupiſcentijs carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis lex, impletur in nobis juſtitia Dei.* Eandem delectationem omnibus peccatis præcurrentem, agnoſcit Auguſtini diſcipulus Proſper: *Quodlibet peccatum perpetrare non poſſum, niſi malæ dele-* C *ctationi conſentiam.* Et Cyrillus Alexandrinus apertiſſimè: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta ſolet allicere, quæ ante peccati actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facile hac via veniendum eſſe quò gliſcimus. Quod verum Chriſti diſcipulus oſtendit dicens: Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum.* Vbi eodem planè modo, ſicut Auguſtinus, ſententiam iſtam ſuam de delectatione omnibus peccatis præeunte, viamque præparante, doctrinam Apoſtolicam eſſe profitetur.

*Lib. 22. cont. Fauſt. c. 28.*

*Serm. 6. de verb. Apoſt. cap. 1.*

*Ibid cap. 9.*

*Lib. 3. de vita contempl. cap. 4.*

*Lib. 4. in Ioann. c. 51.*

Tertiò eadem Auguſtini ſententia ex eo manifeſta eſt, quòd ideo in cælo nulla dicit futura eſſe peccata, quia nulla erit concupiſcentia cui conſentiendo peccetur: *Cur autem in regno nulla peccata remittit Deus filijs ſuis, niſi quia non invenit quod remittat? Non enim poterunt ibi eſſe peccata, ubi ſpiritus non dico, non conſentit concupiſcentiæ carnis, ſed nec concupiſcit adverſus carnem, quia nec caro adverſus eum, illâ ineffabili ſalute perfectâ, quæ nunc non fit in baptiſmo, ubi re-* D *mittuntur quidem cuncta peccata, ſed remanent carnalium concupiſcentiarum mala &c.*

*Lib. 5. cont. Iul. cap. 15.*

Quartò ex eo quod doceat non eſſe membrorum uſum malum, niſi quando conſentitur concupiſcentijs malis: *Quando autem malè utitur homo membris bonis, niſi quando conſentit eis quæ in nobis habitant cupiditatibus malis?*

*Lib. 4. c. 5.*

Denique hanc indubitatam eſſe Auguſtini doctrinam ex multis apertiſſimis teſtimonijs liquet, quæ non poſſunt in alium ſenſum ullâ probabilitate detorqueri. Quid enim ſignificat aliud: *Si autem ab illo (Deo) avertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecundum carnem ſapimus, tunc concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus.* Quid aliud ſignificat id quod alibi dicit? *Ac per hoc non ſolum peccata omnia, quorum nunc remiſſio fit in baptiſmo, quæ reos faciunt, dum deſiderijs vitioſis conſentitur atque peccatur; verum etiam ipſa deſideria vitioſa, quibus ſi non conſentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ non in iſta, ſed in alia vita nulla* B *erunt, eodem lavacro baptiſmatis univerſa purgantur.* Vnde paulo ante concupiſcentiam vocaverat *vitium, cui conſentiendo peccatur.* Et quid aliud ſignificat id quod in libro de ſpiritu & littera dicit? *Non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non ſit ſecundum litteræ ſonum, cùm dicitur: Non concupiſces; ſed apertiſſimum ſaluberrimumque præceptum eſt, quod ſiquis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apoſtolus generale quiddam, quo cuncta complexus eſt, tanquam hæc eſſet vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: Non concupiſces.* NEQVE ENIM VLLVM PECCATVM NISI CONCVPISCENDO COMMITTITVR. Vbi per (concupiſcere) ipſos motus concupiſcētiæ intelligit prohiberi, ideoque illud præceptum ſolùm in cælo eſſe complendum, ut ex fine libri manifeſtum eſt. Nam hujus vitæ juſtitiam tunc perfici docet, quando concupiſcentijs etſi tumultuantibus non con- C ſentimus. *Aliud eſt enim*, inquit, *totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem.* Et paulo pòſt effigiem hominis exprimens, qui perfectam hujus vitæ juſtitiam aſſecutus eſt: *Verum ecce jam talem conſtituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etſi nondum illâ ſupereminentiſſimâ perfectione charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis abſorbuerit atque conſumpſerit, tamen in iſta minore juſtitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione conſentiat: ut ad illam vitam jam immortalem pertineat: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ad hanc autem: Non regnet peccatum* (id eſt, concupiſcentia) *in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius: ad illam; non concupiſces: ad iſtam: poſt concupiſcentias tuas non eas.* Cùm ergò tantam hujus vitæ juſtitiam expreſſiſſet, ut qui illa præditi fuerint, nullis concupiſcentijs malis omnino conſentiant, mox de talibus juſtis adjicit: *Tales juſti ex fide viventes, non opus habent dicere: dimitte nobis debita noſtra* &c. *Falſumque eſſe convincunt quod ſcriptum eſt: Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et illud: ſi dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Non potuiſſet expreſſiùs & clariùs aperire mentē ſuam

*Lib. 2. de pecc. merit. cap. 5.*

*Lib. de pecc. orig. c. 40.*

*Ibid cap. 38.*

*Lib. de ſpirit. & litt. c. 4.*

*Ibid. c. ult.*

qua ſentit omnis omnino peccati expertem A fore vitam noſtram, ſi nullis concupiſcentijs nos provocantibus adhiberemus aſſenſum. Quam ſuam ſententiam etiam in tractatibus in Ioannem pauciſſimis quidem, ſed clariſſimis verbis expreſſit: *Numquid quia deleta eſt tota iniquitas nulla remanſit infirmitas? Si non remanſiſſet, ſine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere, niſi ſuperbus &c.* De peccatis deletis per baptiſmum loquitur, de remanente poſt baptiſmum concupiſcentia loquitur, de peccatis ex illa velut infirmitate rationalis animæ pullulantibus loquitur: ſine fuco & ambiguitate dicit: *Si illa non remanſiſſet, ſine peccato hic viveremus.*

*Tract. 41. in Ioann.*

Nec verò ſolius Auguſtini iſta ſententia fuit, ſed & ante ipſum, & cum ipſo, & poſt ipſum doctiſſimi ſanctiſſimique Patres id ipſum docuerunt, Nam ante Auguſtinum Sanctus Hilarius in Pſalmos ita loquitur: *Viam peccati, qua ad* B *peccatum pergere promptum eſt, amoveri à ſe deprecatur, id eſt, omnia corporalium voluptatum deſideria auferri, nec tentationem aliquam concupiſcentiæ, aut ignorantiæ, qua tanquam per viam ad peccatum itur, ingruere.* Quaſi dicat, illas duas eſſe ſolas vias, quibus ad peccatum pervenitur, quas à ſe amoveri petit. Clariùs eodem tempore quo vixit Auguſtinus, hoc aſſeruit S. Cyrillus Alexandrinus quem paulo antè citavimus: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta ſolet illicere: quæ ante peccandi actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè hâc viâ veniendum nobis eſſe, quo gliſcimus.* Quod ſignificatum eſſe docet illis Apoſtoli Iacobi verbis: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus;* quibus allegatis adijcit; *Vides quomodo ex cupiditate improbitas ortum ducit; vides quomodo ex voluptatis ſemine delicta producuntur.* Et libro primo de adoratione in ſpiritu & veritate: *Semper nos ad defor-* C *mitatem, hoc eſt, ad peccatum impellunt, quæ nobiſcum & in nobis exiſtunt voluptates.* Et iſtud eodem modo, ut Auguſtinus, in peccato Adami, quod mulier figura delectationis omne peccatum prævolantis extorſit, præfiguratum eſſe tradit. Et ſanctus Proſper doctrinæ ſancti Auguſtini ſectator indivulſus: *Si quodlibet peccatum perpetrare non poſſum, niſi malæ delectationi conſentiam, quod cupiditatis eſt proprium &c.* Et ſanctus Leo Pontifex Maximus: *Quia nullum ſine delectatione peccatum eſt, citò acquieſcitur deceptoriæ voluptati.*

*Hilar. in illud Pſal. 118. Viam iniquitatis amove à me*

*Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioannem c. 51.*

*Lib. 1. de adorat. in ſpirit. & verit.*

*Proſp. lib. 3. de vita contempl. c. 4.*

*Leo ſerm. 6. de Epiph.*

Hæc ergo ratio eſt, cur non ſemel Auguſtinus omnia peccata quæ baptiſmo diluuntur, ſub peccato originali, & ijs quæ concupiſcentias noſtras ſequendo committimus, comprehendere ſolet: *Nec omnino quiſquam mundari poteſt, ſive ab originali peccato, ſive à peccatis, quæ ipſi non reſiſtendo carnali concupiſcentiæ, ſed eam ſequendo, eique ſerviendo in flagitijs & facinoribus ad-* D *diderunt, niſi per fidem:* Cujuſmodi & alijs locis repetit.

*Serm 60. de verbis Dom. cap. 1.*

Sed difficultatem alicui movere poteſt quòd ſæpè Auguſtinus adverſus Pelagianos diſputans, duas radices aſſignat, ex quibus omnia peccata pullulant, & propter quas nemo quantumlibet juſtus hanc ſine peccato vitam tranſigere poteſt. Sic enim loquitur in libris de peccatorum meritis & remiſſione, cùm quæſitum eſſet cur in hac vita non eſſet homo ſine peccato: *Nolunt homines facere quod iuſtum, ſive quia latet an iuſtum ſit, ſive quia non delectat &c. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.* Et in libris ad Bonifacium: *Peccata ſunt quæ ſecundum carnis concupiſcentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt &c.* Et mox dicit orari à nobis: Dimitte nobis debita noſtra, non propter concupiſcentiam ipſam, ſed *propter peccata, quæ fiunt, ſive in eius conſenſionibus, cùm ab eo quod libet vincitur, quod placet, ſive cùm per ignorantiam malum quaſi bonum placet.* Et in Enchiridio ad Laurentium, cùm primum peccatum poſuiſſet voluntatem deficientem à bono; de fontibus reliquorum peccatorum ſic adjungit: *Deinde etiam cum nolentibus ſubintrant ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum, quibus comites ſubinferuntur error & dolor &c. Ex his morborum non ubertatis, ſed indigentiæ tanquam fontibus omnis miſeria naturæ rationalis emanat.* Et clariſſimè in eodem libro inferiùs: *Duabus ex cauſis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus: quorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis.* Vbi manifeſtum eſt, nullum eſſe voluntatis omnino liberæ, ſe ſine ulla ignorantia vel cupiditate determinantis locum. Nam quamvis quædam ex malitia dicantur peccata perpetrari, illa ipſa non ſine quadam concupiſcentia, eo fortiore atque robuſtiore, quò occultiore atque ſubtiliore committuntur.

*Lib. 2. de pecc. merit.* *Lib. 1. ad Bonif.* *In Enchir. ad Laur. cap. 24.* *Ibid.*

Verum iſta & ſimilia, quæ multis locis ab Aug. contra Pelagianam hęreſin repeti ſolent, tantùm abeſt ut doctrinam ab eo ante traditâ labefactent, ut potiùs eam longè firmiùs ſtabiliant. Nam inde patet, nulla agnoſcere peccata Auguſt. quæ liberâ omnino, & nullis omnino, ignorantiæ tenebris obſcuratâ, vel concupiſcentiæ deſiderijs impeditâ voluntate committantur, ut communiter putari ſolet, quandoquidem omnia ex duobus illis miſeriarum fontibus ignorantiâ & concupiſcentia ſeu infirmitate promanent. Neque verò hoc ipſum repugnat ijs, quæ ante ex ipſo latè tradidimus, quod omnia peccata inde fiant, quia concupiſcentijs conſentimus, nulla facta ignorantiæ mentione: idque propter duas cauſas. Primò, quia illa ipſa peccata ignorantiæ concupiſcentiam ſequendo, eique conſentiendo committuntur. Quamvis enim ignoretur eſſe peccatum, factum tamen quod concupiſcitur non ignoratur. Secundò, quia concupiſcentia eſt cauſa ignorantiæ, ut ſuprà declaravimus. Nam de illa ignorantia Auguſtino ſemper ſermo eſt, *qua malum*, quod naturæ legibus vetitum eſt, *quaſi bonũ placet.* Vtramq; cauſam tetigit & inſinuavit nonnullis locis Aug: ut quando in libro de perfectione juſtitiæ dicit: *Non offendit, niſi cui mala concupiſcentia contra iuſtitiæ rationẽ appetendo, vel vitando faciendum, vel dicendum, vel cogitandum,*

*Lib. de perf. iuſtit.*

aliquid

*aliquid quod non debuit, ſive* FALLENS; *ſive* PRÆVALENS *perſuadet*. Et quando dicit in libro primo de peccatorum meritis: *Fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exertis adverſus eam* (concupiſcentiam) *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis & crebrius, quanto deteriores; tanto minùs & rarius, quanto meliores ſumus*. Vbi per ignorantiam fieri dicit, ut concupiſcentiæ ad illicita nonnulla cedamus. Et libro ſecundo de peccatorum meritis: *Vnde ſit conſequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne tentatione* (concupiſcentiâ, ſicut ſuprà ex Auguſtini mente declaravimus.) *vincamur, vel cum fallit & præoccupat neſcientes, vel cum premit atque urget infirmos*: in quibus duobus locis *fallere* tribuit concupiſcentiæ propter ignorantiam, cui proprium eſt ſcientiam ſubtrahendo, fallere: *premere* verò ſeu *prævalere* propter motûs vehementiam, quæ concupiſcentiæ propria eſt, & ab invitis ac gementibus aſſenſum voluntatis extorquet. Vnde in Enchiridio ad Laurentium univerſa omnino peccata poſt lapſum, itemque manifeſtas pœnas ad iram Dei peccatum originale punientem revocans dicit: *Ad iram quippe Dei pertinet juſtam, quicquid cæcâ & indomitâ concupiſcentiâ faciunt libenter mali, & quicquid manifeſtis opertiſque pœnis patiuntur inviti*. Vbi cæca dicitur concupiſcentia propter ignorantiam, quam ſecum comitem trahit, Deo pluente pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates: indomita verò, propter infrenes impetus, quibus in voluptates æſtuat.

Lib. 1. de pec. merit. c. 39.

Lib. 2. c. 3.

In Enchir. cap. 27.

Cùm ergò libido ſeu cupiditas dupliciter accipiatur, vel propriè pro motu concupiſcentiæ involuntario, vel minùs propriè, pro motu ipſius voluntatis inordinatè aliquid appetente, ex iis quæ diximus vera ratio intelligi poteſt, cur amor rerum temporalium, ſeu earum quas quiſque poteſt invitus amittere, (ex quo amore omnia peccata perpetrantur, ſicut ſuprà latè ex eodem Auguſtino patefecimus,) cupiditas ſeu libido ab eodem vocari ſoleat. Nimirum quia libido illa propriè dicta, quæ motibus ſuis ante liberum voluntatis aſſenſum prævolat, in omnibus peccatis conſenſum voluntatis extorquet, ita videlicet, ut ex illo deſiderio libidinis, ſeu cupiditatis, ſeu concupiſcentiæ præcurrente, & conſenſu voluntatis accedente, fiat unus completus volendi motus, tanquam homine toto, ex parte tam inferiore quàm ſuperiore ſimul concupiſcente: in quo pleno & quaſi compoſito appetendi motu, libido dominatur, voluntas verò violento & imperioſo ejus motui obediendo ſervit; atque ea de cauſa nomen libidinis ſeu cupiditatis tanquam in illo motu libero dominantis toti actui meritò attributus eſt. Quod manifeſtè ex ipſo Auguſtino patet. Nam in illo eodem loco, quo cupiditatem culpabilem definit, & pro libero appetendi motu accipit, apertiſſimè dicit: *Clarum eſt iam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari*. Et hoc in eodem loco ſæpè repetit, & ex illa, adulterij, ſacrilegij, & ſimilium ſcelerum malitiam eſſe metiendam. In quo loquendi modo, quamvis nunc apud Scriptores recentiores, præcipuè Philoſophos inuſitatus ſit, Scriptores Latiniſſimos & antiquos Philoſophos Auguſtinus ſecutus eſt. Sic enim olim Stoici, & poſt illos Tullius locutus eſt, ut tum alijs locis, tum maximè Tuſculanarum quæſtionum libro quarto patet. Nam ibi libidinem, lætitiam, metum, & ægritudinem, ſeu triſtitiam non pro ipſis paſſionibus, ſed pro motibus voluntatis cedentis paſſionibus contra rationem accipit, ut ex definitionibus ſingularum quas ibi tradit perſpicuum eſt. Qui loquendi modus nec ab uſu quotidiano alienus eſt. Nam juxta illum non tam metuere, triſtari, lætari dicitur, qui motibus illis involuntarijs quatitur, quàm ille qui motibus illis conſentiendo cedit: uſque adeo ut qui illis tantùm tangitur, ſed voluntate dominatur, dicat potiùs & verè dicat, ſe non metuere, non triſtari, non lætari. Quia igitur libido ſeu cupiditas *in toto*, ut Auguſtinus loquitur, *malefaciendi genere dominatur*, hinc eſt, quòd & ipſe, & Stoici, & Tullius, hoc animadvertentes iſta nomina liberis voluntatis motibus dominanti libidini aſſentientis tribuerunt, ut illi ipſi libidines cupiditateſve vocarentur. De qua dominatione Auguſtinus: *Manet in vetuſtate carnis* (peccatum, ſeu concupiſcentia) *tanquam ſuperatum & peremptum, ſi non illicitis conſenſionibus quodammodo reviviſcat, & in regnum proprium dominationemque revocetur*. Et alibi: *Quamvis conjugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non ſit ipſe peccatum; quia bona voluntas animi ſequentem ducit, non ducentem ſequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur ſubjugante peccato, cùm juſtè redigitur in uſum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidem pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet ſtuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò neceſſitudinibus ſervit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur; hic de pediſſequo tali honeſtas verecundatur*. Et clariſſimè ipſe Apoſtolus, cùm generaliter ad Chriſtianam ſanctitatem hortaretur: *Non ergo regnet*, inquit, *peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus*. Et mox: *Peccatum enim vobis non dominabitur*. De cujus peccati, id eſt, concupiſcentiæ ſervitute ac dominatione latè proſequitur, atque in illa ipſa exhortatione ſatis indicat, totam vitæ puritatem & impuritatem in illius concupiſcentiæ ſubjugatione vel dominatione conſiſtere. Neque enim doctrinam illam ſuprà traditam niſi ex Scripturis Auguſtinus hauſit.

Lib. 1. de lib. arb. c. 3. 4. 5.

Lib. 2. de pec. merit. c. 28.

Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 12.

Rom. 6.

# CAPVT XXV.

## Indagatur & profertur hujus doctrinæ ratio tripartita.

SED hîc meritò moveri poteſt quæſtio, unde fiat quòd omne peccatũ concupiſcendo, & concupiſcentiæ aſſentiendo cõmittatur. Cur enim non poteſt animus liberâ ſuâ, nullo cupiditatis motu provocatâ, voluntate peccare? An fortè ideò, quia illa natura voluntatis eſt, ut non poſſit niſi aliquâ delectatione præeunte, & quaſi viam ad liberè volendum præparante conſentire? Sic enim quemdam inter hujus temporis peritiſſimos ſenſiſſe video. Hæc enim delectatio eſt quaſi quædam objecti complacentia: quam neceſſe eſt præcedere, ut quis objectum liberè velit. Quomodo enim volet id quod ſibi non placet, aut quod non delectat? Fundantur in Auguſtino, qui in ſecunda quæſtione libri primi ad Simplicianum dicit: *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat?* Accedit experientia, qua manifeſtè convincimur, nihil penitus nos amplectendo proſequi in rebus ſive humanis ſive divinis, niſi non ſolùm intellectu approbetur, ſed etjam voluntati placeat. Si enim voluntati diſplicet, quamvis intellectus illud probet, potiùs libero voluntatis motu averſabitur, quàm proſequetur: uſque adeò ut etjam tunc, cùm ad experiendam & oſtentandam liberrimam voluntatis indifferentiam, alterutrum eligere volet, præcedat quædam complacentia unius præ altero, vel certè iſtius indifferentiæ oſtentandæ: ex qua delectatione fit, ut nunc hoc, nunc illud eligat. Neque enim neceſſe eſt, ut delectatio aut complacentia ſemper circa illud immediatè verſetur, quod eligitur, ſed vel circa illud, vel circa aliud, ex cujus delectatione alterum etjam inviſum eligatur. Vnde hæc, niſi quia illa eſt natura voluntatis? Quæ quidem ratiocinatio, alicui probabilis videri queat, præſertim cùm Auguſtinus, tum illo quem citavimus loco, tum aliàs non ſemel hujuſmodi delectationis motum voluntatis liberæ præcurſorem & præparatorem ad volendum poſtulet, ut alibi dicturi ſumus.

*Vide infrà lib. 4. de gratia Chriſti Salvatoris c. 6. & maximè 8.*

Sed quantumcunque iſta Philoſophiæ principijs ſatis conſonare videantur, omninò tamen dicendum eſt, hoc nullo pacto ex natura voluntatis accidere. Sic enim duo capitalia Auguſtini, imò Eccleſiæ principia ſubvertuntur. primum eſt, quo docet Auguſtinus, in primo Adami peccato, quod fide certum eſt eſſe liberâ voluntate perpetratum, nullam hujuſmodi non-liberam ſeu involuntariam delectationem, ſeu complacentiam, ſeu quocunque nomine motum iſtum indeliberatum voluntatis nomines, præceſſiſſe. Docet enim conſtantiſſimè, ut ſuprà de primi hominis ſtatu declaravimus: ſummam fuiſſe ante primum peccatum in anima & corpore tranquillitatem, ita ut nihil in eo prorſus renitente vel non annuente voluntate poſſet exurgere, quo provocaretur ad malum. Vnde cùm Iulianus ſimilem quandam titillationem ad comedendum, ante peccatum primum conſtitueret, tanto impetu hoc repercutit, ut dicat: *non uſque adeò dementes eſtis, ut iſta credatis: non uſque adeò impudentes, ut iſta dicatis.* Videlicet in tanto beatitudinis loco fuiſſe primos homines *ſine pace mentis & corporis.* Qua de re latiùs ſuprà diſſeruimus. Alterum eſt, quo ſemper docet, omnem concupiſcentiam atque illicitam delectationem, imò omnem repugnantiam, qua vel corpus vel animus deſideria & delectationes ſuggerit, quibus mens ad appetenda terrena ſollicitatur, pœnam eſſe peccati. Addi poteſt tertium, quo docet injuſtum fore Deum, ſi talibus tentationibus internæ delectationis ad malum provocantis homo ante demeritum pulſaretur. Hæc eſt enim graviſſima pœna, quam ſine peccato innocentibus hominibus Deus nec inflixit, nec infligere potuit, ut infrà fuſiùs oſtendendum eſt. Iſta principia Auguſtini, imò Catholicæ Eccleſiæ cùm certa ſint, impoſſibile eſt illam eſſe naturam voluntatis, ut voluntas antequam in aliquem liberum erumpere poſſit motum, aliqua involuntaria objecti delectatione ſeu complacentia neceſſariò provocetur & præparetur, ſic enim neceſſe fuiſſet etjam ante primum peccatum hujuſmodi mali complacentiam, ſeu delectationem, ſeu titillationem debuiſſe præcedere. Neceſſarium igitur eſt, ut ex alio principio doctrinæ ſuperiùs traditæ fundamenta jaciamus.

*Lib. 1. imperf. Julian.*

*Lib. 1. Contr.*

Omnibus animalibus naturâ inſitum eſt, ut ſeipſa diligant: quæ inconcuſſa lex etjam in beſtias, adeoque plantas ac ſtirpes, & res inanimas pervulgata eſt. Nam & illa mortem quo poſſunt modo, velocitate, latebris, reſiſtendo, repugnandoque fugiunt; & iſta corticibus, radicibus, omniumque partium ſe valida compactione cuſtodiunt. Cujus veritatis à ſummis uſque ad ima penetrantis conſideratione Philoſophi de homine dixerunt, hanc eſſe naturæ primam quodammodo & maximam vocem, ut homo concilietur ſibi, & propterea mortem naturaliter fugiat; ita ſibi amicus, ut eſſe ſe animal, & in hac conjunctione corporis atque animæ vivere velit, vehementerque appetat. Ex iſto eſſendi appetitu fluit, ut animantia non ſolùm ipſum eſſe ſuum, quod ex corpore & anima conflatum eſt, diligant, ſed & uniuſcujuſque partis convenientia bona proſequantur, & omnibus modis mala declinent, hinc enim ſaluti & integritati corporis

*Lib. 1. de doct. Chr. cap. 22.*

corporis magno conatu conſulunt, dolorem ejus, diviſionemque partium, famem, & ſitim fugiunt. Hinc ad appetituum quietem anhelant, dum ſequuntur voluptates; appetitibus enim ferri & appetita non aſſequi, tortura magna eſt animantium, & malum. Appetunt hæc omnia animalia naturaliter, nec opus eſt alia concitatione, vel appetitus determinatione, quàm ut objecta naturæ congrua ſenſibus offerantur: hoc ipſo enim in eis concitatur impetus appetentis animæ, ſi hujuſmodi fuerint, ut corpori, vel animæ, vel utriuſque conjunctioni, hoc eſt, vitæ cuſtodiendæ ſervire æſtimentur. Et hic finitur in brutis animantibus dilectio ſui. Nec enim vel ſalutem corporis, vel requiem appetituum, vel vitam quæ ex utriuſque conjunctione coaleſcit, ad aliud referre naturæ magiſterio dicerunt. Vſque adeò ut ſi propter finem cognitum operarentur, ſalus iſta totius animantis diceretur eſſe in eis ultimus omnium appetitionum & motuum finis. Neque ipſe homo, ſi ei deeſſet ratio, aliquid amplius appeteret. Vnde Auguſtinus: *Si irrationalia eſſemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis, & requiem appetitionum: nihil ergo præter requiem carnis, & copiam voluptatum: & pax corporis prodeſſet paci animæ.* Sed quia homini anima rationalis data eſt, cujus nullum eſt bonum, niſi ſolus Deus, utpotè qui eſt ei veritas ad intelligendum, & ſummum bonum ad fruendum; hinc eſt quòd propter illud ipſum bonum omnibus bonis & ipsâ naturâ hominis excellentius, ipſe homo conditus fuerit, & conſequenter, quòd quicquid commune habet cum brutis animantibus, corporis integritas, requies appetitionum, vita ipſa ad illud bonum referendum ſit. Ad hoc enim velle debet nec dolore corporis moleſtari, nec deſiderijs perturbari, nec morte diſſolvi, ut bonum illud ſuum cognoſcat ac diligat, hoc eſt, ut clarè noverit & ineſtabiliter diligat incommutabilem veritatem, & ex ejus nutu & hic & poſtea omnem vitam moreſque componat: idque non propter ſe, quia hoc ſibi commodum eſt, ſed propter illum cujus eſt totum quidquid eſt, & habet, & poteſt. Illius enim & creatura, & figmentum, & mancipium eſt: atque ita tanquam aliquid ipſius Dei ſe diligere debet, ut Deus creaturæ ſuæ in æternum dominetur, & in ea poteſtas, ſapientia, & bonitas ejus glorificetur. Hic enim ſicut fuit ſcopus creantis Dei, ita & hominis amantis eſſe debet. Hic eſt verus & purus ille amor, quo jubetur diligere Dominum Deum ſuum ex toto corde, & animâ, & viribus. Hic idem eſt verus & ſolus amor, quo homo ſeipſum utiliter diligit. Non enim hæret vel ſiſtit in diligendis, aut corporis aut animæ aut utriuſque commodis procurandis, ſed iſtam totam quam cum brutis communem habet *dilectionem ſui, in illam dilectionem Dei refert, quæ nullum à ſe rivulum extra ſe duci patitur, cujus derivatione minuatur.* Hoc amore homo ſicuti Deum ut eſſentiæ ſuæ

Lib. 19. de Civit. c. 14.

Lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

A & ſapientiæ & amoris principium, ita etjam ut illorum omnium finem reſpicit in quem cuncta requieſcant. Iſte beatiſſimus amor tum Dei tum ſui, viſceribus hominis cùm conderetur infuſus eſt, ex cujus ſuaviſſimis legibus, quas amando in libro æternæ veritatis legebat, & corporis commoda procurabat, & inferiores animæ appetitus, prout res exigeret, exerendo & relaxando dirigebat. Anima enim ex uno Deo ſuſpenſa, nullis iſtius dilectionis ſui, quam cum brutis reſpectu corporis, & ſui, & conjunctionis utriuſque eam communem habere diximus, importunis motibus turbabatur. In ſubſidium enim ſuperioris partis data fuerat, ut ad nutum ejus motus exereret ſuos, & ratione imperante, illa miniſtrante, majori pronitate atque facilitate ſaluti totius animantis conſuleretur. Cùm igitur homo ſervitutem illam ſub Deo malè libero abrupiſſet arbitrio,
B Deo, quo ſolo erat inferior, tanquam principio & fine prætermiſſo, in ſeipſum creaturis corporeis ſuperiorem, & ideò veluti medio loco inter Deum atque illas collocatum lapſus eſt, & ipſe ſibi cœpit omnium appetitionum & motuum eſſe principium & finis. De quo præclarè Auguſtinus: *Quà igitur tam longe tranſiret ad infima, niſi per medium ſui?* Et alibi: *Quis ſe abſcondit à conſpectu Dei* (de Adamo loquitur) *niſi qui deſerto ipſo incipit jam amare quod ſuum eſt?* Et in libris de Civitate Dei, de eodem loquens: *Perverſa celſitudo, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium.* Et mox: *Hinc enim & delectavit quod dictum eſt: Eritis ſicut Dij. Quod melius eſſe poſſent ſummo veroque principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam.* Dum ergò Deum deſeruit cujus veritate illuſtrabatur ut videret, & bonitate fruebatur ut beatus eſſet,
C principium ſibi eſſe voluit & cognoſcendæ veritatis, & dandæ beatitudinis. Nihil eſt enim aliud placere ſibi, quod Adamo ibidem tribuit Auguſtinus, quàm ſeipſum amare, & velut excellens aliquod bonum admirari, & exoſculari, & hoc ipſum eſt ſeipſo in ſeipſo frui, & fruendo beatum velle fieri. Et ſicut illius motus principium, ita & finis ipſe fuit. Duplex eſt enim omnium appetitionum finis, *qui* & *cui*. Inter quos ultimus omninò finis eſt ille qui dicitur *cui*; reſpectu cujus, finis *qui* quodammodo medij rationem induit, quantumcunque aliquis eo frui videatur. Nam & finis *qui* & fruitio ejus propter ipſum fruentem velut finem *cui* omninò ultimus appetitur. Sic ergò homo lapſus ab amore Dei, in quem velut in finem *qui*, ſimulque finem *cui* totum ultimò cederet, ferebatur, in ſeipſum non ſolum velut omnium appetitonum præſentis & futurarum principium, ſed velut in finem ultimum *cui* cecidit.
D Hoc ipſum enim quod relicta dominatione Dei, ſua poteſtate, ut Auguſt. loquitur, vel alia quacunq; excellentia frui voluit, ſibi eam voluit, & in ſe, non in alium quempiam velut finem ultimum *cui* retorſit. Fracto igitur illo vinculo divini amoris, quo

Lib. 12. de Trinit. c. 11

Lib. 2. de Geneſ. contra Manich. c. 16

Lib. 14. cap. 13.

mens hominis tanquam ſummus apex hominis, cum omnibus naturaliter inſertis amoribus ſive corporis ſui, ſive animæ, ſive conjunctionis utriuſque arctiſſimè religabatur & ſuſpendebatur ex Deo, ne quicquam in toto homine ad aliquid appetendum aut fugiendum, ea nolente, moveretur, ſtatim illa pondera amorum naturaliter quaſi ſuâ gravitate deorſum lapſa abrupto retinaculo ceciderunt, & voluntatem ſecum rapiendo, magno impetu ad ſua quæque objecta properarunt. Quod triplici ex capite videtur contigiſſe.

Primò, quia naturaliter ita fieri res ipſa poſtulat, ut (quemadmodum in brutis accidere videmus) non ſolùm corporis commoda ſummo conatu quærant, doloreſque & mortem fugiant, ſed & ſenſuum externorum internorumque pro cujuſque natura delectationibus inhient, quò naturæ pondere propelluntur. Vnde ſi rationali voluntati natura irrationalis cum eodem iſto naturalis amoris pondere in omnia quaquaverſum objecta proſiliente conjuncta fingeretur, nemini mirum eſſet, ſi rationis deliberationem & liberam voluntatis motionem ſemper indeliberatis ſuis motibus anteverteret. Natura enim longè conſtantiùs multòque priùs ſuos motus exerit, quàm voluntas. Quod enim naturaliter agit, ipſo momento, quo cuncta quæ ad agendum requiruntur expedita ſunt, in actum proſilit: hoc eſt, brutalis appetitus ipſo momento quo ſenſibus vel internis vel externis objectum apprehenditur, aut appetit illud, aut fugit, aut alio quopiam circa illud verſatur motu. Quod opus naturæ totum peractum eſt, antequàm ratio deliberare, nedum voluntas annuere potuerit. Quid ergò mirum, ſi brutalis illius naturæ motus cui copulati ſumus, omnibus voluntatis liberis motibus prævolet, cùm illa dilectio ſui naturalis, quæ viſceribus ejus & ſingulis facultatibus inſculpta eſt, ubique corporis commoda & appetitionum requiem quærat? Quid denique non maximè rationi conſonum, ſi in quidlibet indifferenter ardeſcat, ſive rationi, hoc eſt, veritati congruat, ſive diſſonet? Ipſius enim per ſe ſpectatæ non eſt agnoſcere veritatem, ſed bonum ſuum privatum quærere: hoc verò utrum etjam ſuperiori parti totique homini congruat, viderit ratio.

Secundò, quia ille ipſe amor ſui in quem homo velut finem *cui* omnia in poſterum appetenda ſervirent, abrupto amore Dei lapſus fuit, eſt veluti intentio quædam generaliſſima & efficaciſſima finis ultimi, quo omnia referuntur. Amiſſo enim amore Dei, in quem antea, omnia velut in finem ultimum ferebantur, impoſſibile eſt, ut aliò quælibet appetita referantur, niſi ad ipſum hominem, qui ſe diligendo arctiſſimè complectitur, & ſibi ſoli incubat. Nam amor amicitiæ ad alterum eſt quædam velut extenſio & effigies amoris ſui: quemadmodum propago eſt extenſio trunci: & ad illum ſe incipit habere ſicut ad ſe, res aliquas amico appetendo, ſicut ſibi. Intentionis autem efficacis illa natura eſt, ut in omnia omninò media, quæ fini amato, ſub modo quo amatur, conducere videntur, neceſſariò feratur. Hinc ergò ſolus ille amor ſui efficaciſſimus, in quem homo lapſus eſt, etſi nullus appetitus ſenſitivus ſtimularet, ſatis eſt ut illa vitioſa deſideria ſuſcitaret etjam invitâ voluntate, quibus jam torquemur. Sic enim experimur in rebus amatis fieri, quantumcunque vel naturæ hominis vel appetitui ſenſitivo ingrata ſint, ut ſi magno amore diligantur & appetantur, etjam inviti illis cogitandis deſiderandiſque inhiemus. Cùm verò amor iſte ſui ſit ſimul generaliſſimus, utpotè in quem velut finem omnia omninò quæ quoquo modo faciunt ad corporis aut animæ requiem, quam omne animal naturaliter appetit, referuntur; nihil mirabile, ſi ex illo ſolo amore ad omnia omninò vitia inceſſanter urgeamur. Nam amiſsa veræ dilectionis regulâ & fine, quidquid homini bonum videtur, iſtud ex illo amore concupiſcitur, ſive animi ſolius creata bona, ut à Stoicis factum eſt, ſive corporis, ut ab Epicuræis, ſive utriuſque ut à Peripateticis. Omnia quippe iſta in hominem ſui ipſius amatorem & admiratorem ultimò terminantur. Hinc eſt quod meritò Auguſtinus iſto ſolo amore ſui tanquam generaliſſimo & uberrimo fonte omnium omninò vitiorum; Civitatem terrenam, cujus Adam in hominibus principium fuit, à cœleſti civitate diſcernat: *Secernunt civitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cæleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Optimè omninò atque veriſſimè. Impoſſibile eſt enim ut amator ſui non contemnat Deum, & è contrario, ut amator Dei non contemnat ſe. Nam & ille ſeipſum velut finem omnium appetitionum ſuarum reſpicit, & iſte Deum; cùm neque ſeipſum curet aut diligat niſi propter Deum, ut illi cedat ipſa illa dilectio ſeu cura ſui, ſeipſum etjam in nihilum redigere paratus, ſi tanquam in bonum, Dei unicè dilecti cederet, juberetur. Hinc Auguſtinus: *Prima hominis perditio fuit amor ſui.* Hinc omnia vitia, quæ longâ ſerie recenſet Apoſtolus, ex eo pullulare profitetur, quod Præmiſerat; *Erunt homines ſeipſos amantes. Hæc*, inquit, *omnia mala, ab eo velut fonte manant, quod primum poſuit ſe ipſos amantes.* Et paulò pòſt iterum, cùm illa vitia deduxiſſet: *Hæc atque hujuſmodi vitia, ſive uni homini accidant omnia, ſive huic alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum ſunt homines ſeipſos amantes.* Nimirum quia amor ille ſui eſt, ut dixi, velut intentio quædam generaliſſima & efficaciſſima appetendi ſibi velut fini quicquid appetenti congruere iudicetur: Ex quo non ſola innoxia illa cura cuſtodiendæ integritatis animæ & corporis; (nam & iſta ex eo quamvis ſine noxâ fluit, quatenus ad illa objecta terminatur) ſed omnia etjam indeliberata vitiorum deſideria, & conſequenter vitia, Dei amore non regente, proficiſci ſolent.

Tertiò denique, quia poſtquam homo

deſerto

deſerto Deo in ſeipſum amandum fruendumque velut beatitudinis fontem cecidit, ingentem & ſibi ipſi incomprehenſibilem vacuitatem & egeſtatem expertus eſt; tantam videlicet, quantum fuerat illud bonum, quo ante fruendo replebatur, & cui capiendo naturaliter conditus fuit. Tria vero illius immenſi poſſeſſione boni poſſidebat. Primò incomparabilem quandam celſitudinem, utpote qui nullo interjecto medio ſoli Deo ſubdebatur: & ita dominabatur ſui & omnium ſibi naturæ conditione ſubditorũ, ipſi autem nemo penitus præter Deum. Secundò, ſcientiam luminoſiſſimam rerum creatarum, & maximè omnium agendorũ; quia mẽs illa omni amore peregrino creaturarum, & conſequenter pœnalibus tenebris vacua, ſine ullo obſtaculo, veritatis cui inhærebat, puris radijs tangebatur. Tertiò, torrente quodam voluptatis perfundebatur, quæ ex tanto bono ſemper præſente cognito B dilectoque profluebat: *Ex hoc amore*, inquit Auguſtinus de Adamo, *grande gaudium, non deſiſtente quod amabatur ad fruendum.* [*Lib. 14. de Civit. c. 10.*] Tribus iſtis ingentibus bonis, quibus ex illius infiniti boni poſſeſſione plenus erat, tres æquè ingentes inanitates ſeu penuriæ ſucceſſerunt, & ex penurijs importuniſſimi & violentiſſimi deſideriorum impetus ad illa damna quoquo modo ſarcienda. Hac enim in primis conſideratione dixiſſe arbitror Auguſtinum, id quod omnium veraciter ſpiritualium virorum judicio approbatum eſt: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* [*Lib. 1. Confeſſ. c. 1.*] Anima quippe inquietatur deſiderijs velut motibus; & gaudijs veluti motuum terminis requieſcit. Inde igitur perpetua ejus extra Deum inquietudo, dum quidquid appetit ut fruatur & gaudeat, nihil omnino invenit præter Deum, quo vaſtiſſima illa capacitas impleatur.

Hinc ergo naſcuntur tria genera importu- C niſſimorum deſideriorum ex quibus, juxta Sancti Auguſtini doctrinam ſupra traditam, omnia vitia proficiſcuntur. Primò quidem omnes illi impetus vanitatis, cupiditatis videlicet laudis & æſtimationis, & amoris, ac timoris humani, quaſi conſcia ſuæ abjectionis anima ad quandam primatus excellentiam ſuffragia aliena & emendicata contraheret. Itemque libido maxima ceteris dominandi, quibus ſub Deo æqualis eſſe deberet. Ita nimirum oſtentat *quandam appetitum unitatis & omnipotentiæ*, ut *ſolus homo ſit, ſi fieri poſſit, cui cuncta ſubjecta ſint*; [*Lib. de vera Relig. c. 45.*] & ita quandam adipiſcatur *umbram veri regni*, [*Ibid. c. 48.*] quo ſub Deo ſibi regnante gaudebat. Hinc ſecundò naſcitur inquietiſſima illa curioſitas nomine ſcientiæ palliata: per quam illa vacuitas primæ veritatis, ad quam diligendam ac videndam condita eſt, impleatur. Hinc tertiò perpetua illa pronitas in voluptates, animâ videlicet ſatagente per D omnes rimas corporis foriniecus ſibi accerſere, quod intrinſecus ei ſcaturiverat. Inter quarum impetus ille maximus, totaque vita pertinaciſſimus eſt, quo in concubitum æſtuat; nimirum occulto inſtinctu hoc agens, ut homo

A quia morte damnatus eſt, vicaria quadam ſuiipſius ſubſtitutione immortalitatem quam amiſit rurſus aſſequatur. Hoc enim naſcitur quodam arcano *ſenſu naturæ mortalis ſucceſſionem deceſſionemque requirentis.* [*Lib. de bono conjug. c. 19*] Hi tres ergo fontes ſunt non ubertatis ſed *indigentiæ*, ut eos Auguſtinus ſubinde vocat, ex quibus omnino omnia vitioſa deſideria, quibus provocamur, emanant.

Quibus ſi addas, quod *amor ille ſui*, quam *primam hominis perditionem fuiſſe* cum ſanctiſſimo Doctore diximus, [*Serm. 47. de diverſ.*] veſtigium ſibi ſimillimum, ſicut ipſa natura humanorum actuum poſtulat, inſtar conſuetudinis pertinaciſſimæ in inferiorem animæ partem impreſſerit (quæ omnium motuum vitioſorum quantumcunque ſpiritualium & ſubtilium, quibus perturbamur, ſuſceptiva eſt) eaque in prolem propagata tranſierit, quò doctrina Auguſtini collimare vide- B tur; nihil omnino quiſquam mirabitur, ſi iſtud amoris proprij veſtigium, naturali illi dilectioni ſui ſuperadditum, tantaque rerum omnium egeſtate, in quam cecidimus, appetitum provocante adjutum, inceſſanter creatarum rerum deſideria concitet, & omnibus actibus liberæ voluntatis prævolet. Omnia quippe prædicta per modum naturalis ponderis premunt, & non expectatâ rationis deliberatione, aſſiduis deſiderijs vel agendi vel non agendi, in omnibus occaſionibus animam ad exferendum conſenſum ſuæ libertatis impellunt. Quidquid enim creatarum rerum, ſive ſenſibus externis ſive ipſis occurrit cogitationibus, totum hoc ſub objectum proprij amoris jam corrupti ſummaque illa egeſtate vexati cadit, qui illis vel appetendis vel fugiendis inceſſanter invigilat; quemadmodum hoc in brutis erga ſui generis objecta fieri manifeſtum eſt. Vnde Auguſtinus ſæpe vitam iſtam non ſolum C tentationibus plenam, ſed totam tentationem eſſe teſtatur: *Cujus tentationes, imo quam totam tentationem, quamdiu in ea ſumus, quantumlibet proficiamus perpeti non deſinimus.* [*Lib. 22. de Civit. c. 22.*] Et infrà, quod etjam crebro repetit: *Aliquando concitatius, aliquando remiſſius, non tamen deſinit caro concupiſcere contra ſpiritum.* [*c. 23.*] Longè enim latiùs patet illud Apoſtoli, quàm vulgò putant; *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* [*Gal. 6.*] Nam quamvis illa notiſſima vitiorum fornicationis, homicidij, & ſimilium deſideria non ſemper nos irrequieta perturbent, ſunt aliæ tamen innoxiarum rerum cogitationes & appetitiones, quibus anima ſine ceſſatione velut aër aurâ ſenſibus humanis imperceptibili commovetur. Qui aër quamvis ſereniſſimus quieſcere videatur, moveri tamen ratio vera judicat. Nam ad omnes omnino actiones noſtras, hujuſmodi quamvis leviſſimi motus voluntati prævolant, quibus conſen- D tiendo non ſolùm peccata venialia vulgò nota committamus, ſed etjam actiones illas, quibus corpori vel animæ juxta naturæ inſtituta conſulimus, exequamur. Hinc ergo fit, ut impoſſibile ſit ullum liberum voluntatis actum exeri, niſi illius amoris ſive naturalis ſive ſuperadditi

peradditi deſiderio quodam involuntario A præeunte provocetur. Sola enim illa pura dilectio Dei, nullum cum illo amore præeunte commercium habet, ſed ejus inordinationes interficit, & ejus titillationes prævolantes enecat. Quidquid non ex illa divina puriſſimaque dilectione fluit, hoc neceſſario ex illo amore ſui, ac deſiderijs ejus ſive ordinatè ſive inordinatè proſilientibus, & præeuntibus proficiſcitur. Et quamvis nihil mali fiat, ſed potiùs multum boni, quatenus per eum neceſſitatibus corporis, & ſenſuum, & vitæ conſervandæ juxta naturæ præſcriptum conſulimus, quod natura omnibus animantibus indidit; tamen in creatura rationali non eſt bonum, quòd iſta appetendo & procurando in ſeipſa hæret, dum ſibi conſulit, tanquam fini *cui* ultimò totum cedat; cum deberet in Deum, cujus eſt & ipſa, & appetitus ejus, & vita tota, retorqueri. Alioquin amor iſte ſui ordine ſuo B in creatura rationali caret.

His de duabus illis animi pœnis ignorantiâ & concupiſcentiâ expeditis, conſectaneum eſſet, ut nonnihil etjam de miſerijs corporis, & in primis de pœnis parvulorum in altera vita diceremus. Nam etjam de illis non parvæ vigent controverſiæ, in quarum deciſione non mediocriter à probatiſſima Sancti Auguſtini & veterum doctrina recentior ſchola deflexit. Sed quia in libro tertio de ſtatu puræ naturæ, de corporis pœnis copioſè, ac de Dei infligentis juſtitia diſputandum eſt, in illum cuncta reſervamus locum. De pœnis vero parvulorum poſt hanc vitam pœnè ſuperfluum eſt novum laborem ſuſcipere. Iam enim ante paucos annos Illuſtriſſimus juxta atq; Eruditiſſimus vir Dominus *Florentius Conrius Archiepiſcopus Tuamenſis* opuſculo hac de re ſcripto, per quàm accuratè demonſtravit, parvulos abſque baptiſmo ex hac vita decedentes pœnis non tantum damni, ſed ſenſibilibus, & quidem æterni ignis, ſecundùm Sancti Auguſtini doctrinam, plecti. Cui operi quamvis quædam addi poſſent, quædam etjam juxta Sanctum Auguſtinum rectiùs aliter dici, quemadmodum nos quodam loco declaravimus, rectiſſimè tamen oſtendit id quod in iſta controverſia præcipuum ac medulla eſt, longè ab Auguſtini, & fortaſſis Eccleſiæ, quæ Pelagianos juxta ejus principia damnavit, mente receſſiſſe ſcholaſticos, qui parvulis ſine baptiſmo morientibus vel beatitudinem naturalem, vel immunitatem à ſenſibilibus ignis æterni pœnis tribuerunt. Qua propter ne actum agamus, vel ejus lucubrationes in hæc ſcripta noſtra transferamus, remittimus diligentem lectorem ad ipſum tractatum ejus. in quo quicquid ab adverſarijs pro parvulorum cauſa benigniùs quàm ſapientiùs opponitur, ex profundiſſimi doctoris Auguſtini ſenſu ac verbis refutatur. Nos verò iſto labore, qui in pœnas parvulorum explicandas impendendus fuiſſet, ſublevati, alacriùs ad ſtatum ac vires naturæ per peccatum violatæ deſcribendas, nuſquam à Divi Auguſtini mente (quantum Deus adjuverit) recedendo, properabimus.

F I N I S.

DE STATV